



Käuflich erworben

von der ULB Halle



Sreiherr v. Ende-Sassenitz

von der ULB Halle

XIX Diff. Jard.

14

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
EO, QUOD JUSTUM EST  
CIRCA  
**DISPENSATIONEM**  
**MATRIMONII,**  
OB LEGEM  
**CONSANGVINITATIS**  
VEL  
**AFFINITATIS JURE DIVINO**  
**PROHIBITI,**  
QUAM  
DEO T. O. M. ANNUENTE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
CONSENSU INCLUTÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
PRÆSIDE  
**DN. D. ANDREA GÖTSCHE**  
PROFESSORE PUBLICO, ET JURISCONSULTORUM  
ORDINIS ASSESSORE,  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQUE JURE CAPECENDI HONORES  
IN AUDITORIO MAJORI  
H. L. C.  
DIE XII. NOVEMB. A. O. R. MDCC XVIII.  
publico Eruditorum examini subjicit  
**JOANNES CHRISTIANUS HARRES,**  
VINARIENSIS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

PEGOVIA CONSOLIDAT  
TETRAGRAMM

MENORAH

AMONOT

SHAMAT

YODH

SHIN

ZAYIN

CHAVI

DALET

MEM

HEH

YODH

SHIN

ZAYIN

DALET

MEM

HEH



A JEHOOVA.

## PRINCIPIUM!



Uandoquidem Sanctissimum, *sanctitas* purissimumque Numen divinum *matrimonii* non tantum in ipsa probitate exi- *defenditur*.  
mia, in qua conditi erant prin-  
cipes homines, communesque ge-  
neris nostri satores, ad conservan-  
dum mediante successiva propa-  
gatione honesta, genus humanum, *Genef. 2, vers. 18.* sed  
etiam ad averruncandas, in præviso jam ab omniscio  
Deo corruptionis Statu, omnes inordinatas, vagasque  
corporum commixtiones, *1. Cor. 7, vers. 2. Ebr. 13, vers. 4.*  
*junct. 1. ad Thessal. 4. vers. 3.* Societatem instituit conju-  
galem, eamque multiplici sua gratia ac benedictione  
impertitus est, *Genef. 1, vers. 27. seqq. junct. cap. 9. vers. 1.*  
*seqq. & cap. 15. vers. 5. add. Isidor. Origin. lib. 9. c. 8. n. 50.*  
Præcipue vero ut ea mediante Ecclesia propagaretur,  
& exactis temporibus salvator mundi ex virginе Ebræa  
nasceretur: Facile est ad intelligentum, cur phraſi  
Ecclesiæ nostræ hoc vitæ genus nomen sanctitatis, des-

A

heilis

heiligen Chestandes, sortitum sit? Licet enim non sit Sacramentum proprie dictum, h.e. medium per quod divinæ gratiæ, Evangelio promissæ possint ac debeant conjuges participes fieri, nihilo tamen secus sancti vox recte eidem imposita fuit, primo quidem ratione causa efficientis, quatenus pios conjuges sua quasi manu hodienum conjungit D E U S, Matth. 19. vers. 6. præparatque unicuique suam uxorem, suumque maritum, unde & foedus D E I dicitur Prov. 19. vers. 14. add. Malach. 2. vers. 14. Gothofr. in Not. ad Nov. Leon. 89. lit. t. imo & conjugalis amoris flammarum in corde utriusque accendit, ut animus de perpetua hac vita, ac mortis tantum vi dirimenda coniunctione decernat, antequam ulli hominum ea res patefacta sit, quod multis ex S. Codice petitis exemplis declarat Gerhard. Tom. 7. Loc. Theol. de Conjug. cælib. & cognat. mater. cap. 4. sect. 1. §. 50. add. cap. 10. sect. 3. artic. 2. membr. 3. §. 696. Idemque porro sanctitatis character elucet non tantum secundo ex illius effectu, dum juxta Apostoli effatum: Vir infidens per uxorem redditur sanctus; itemque uxor infidens fit sancta per maritum, 1. Cor. 7. vers. 14. sed & tertio ex adjuncto, quod sit typus spiritualis conjugii inter Christum & Ecclesiam, in quo sane magnum ineſt mysterium, Ephes. 5. vers. 23. 27. 31. & 32. ut proinde his, aliisque purioris doctrinæ Christianæ rationibus commotus B. Lutherus in Concione Copulationum ad Ehr. 13. scriptum reliquerit: Die Vernunft und Welt hält es nicht sonderlich dafür, daß der Chestand ein Gottes Gestift sey, wie auch die Heyden gemeinet haben, daß es plumpweis und zufals also geschehe, daß einem diese oder jene zu theil werde ic. Et paulo post:

post: daher iſſt kommen, daß man ſo ein Gaufelſpiel aus dem Eheſtande gemacht, und allenhalben ſo leichtfertig davon geredet hat ic. Porro: Ein Christ aber foll die Ehe von unehlichen Leben durch Gottſes Wort wohl wissen zu unterscheiden. Tandemque: wann du Gottſes Wort dagegen hältest und ansiehest, damit dieser Stand geſegnet und geziert iſt, das wird dich wohl erhalten, und wiederum tröſten, und wird dir einen heiligen und geiſtlichen Stand daraus machen. Und ihm geschiehet Gewalt und Unrecht, daß ſie es einen weltlichen Stand genennt haben; Es folte ein Götlicher und Geiſtlicher Stand heißen. Ex quibus plusquam manifesto appetet, B. Vīrum divinitus hoc institutum vitæ genus non ex mera copula carnali, aliisque civilibus circumstantiis, uti quidem teste Tobia cap. 8. vers. 5. ignaræ Dei gentes faciunt, sed ex S. Scripturæ ſenu rectius æſtimaffe; quem jure meritoque Christianus ICtus Carpzovius lib. 2. Jurisprud. Eccles. def. 21. num. 7. seq. fecutus, matrimonium inquit, non eſt contractus tantummodo civilis, ſed res conſcientiæ, & tale negotium, cui character spiritualis eſt impressus: quippe foedus matrimonii sanctissimum non tam a contrahentium conſensu, quam Dei autoritate & voluntate dependet; ob quam cauſam licet moderno in ſtatu corruptionis vtique honestis Magistratus civilis legibus negotia matrimonialia regi ac veſtiri debeant, Puffendorff L. 6. de J. N. & G. cap. 1. §. 36. in fin. nunquam tamen pii ac christiani principes abſolutam, ſeu ſuo unice arbitratu ſuper ejusmodi cauſis diſponendi ac diſpensandi ſibi depoſcunt facultatem, ſed diuinæ institutionis matrimonialis probe memores, petita priu ex verbo revelato informatione, de iis ſta- tuunt, ſanctionesque suas promulgant, vid. ſacratiſſimi

A 2

ac

ac Potentissimi Regis Borussiæ novissimam de Emendatione justitiae administrande Constitutionem pragmaticam de anno 1713. d. 21. Junii §. 13. & 14. quemadmodum etiam Christus ipse in quæstione super divertio tentantes Pharisæos apud Matth. 19. vers. 3, non ad Jus aliquod humanum, sed ad primam illico divinam matrimonii Legem ablegavit, utpote de qua nemini hominum salva conscientia recedere integrum esse debeat. Neque huic meæ sententiæ quicquam negotii facesit, quod contrariam propugnantes fententiam non minus B. Lutheri verba pro se adducant, quando ille in *Præfatione Libri von Che-Sachsen, qui extat Tom. 5. Ienens. Germ. fol. 238. seqq.* alibiique passim docet, matrimonium rem esse externalam prophanam, uti vestimenta, domus, aliaque Magistratui Civili subjecta ; siquidem totus contextus, arg. l. 24. ff. de LL. rite inspectus, satis abundeque edocet, B. Virum cit. loc. conjugium pro re mere civili neutiquam habere, sed diserte potius distinguere inter officia matrimonialia civilia & conscientiarum ; imo loqui ibidem de judicio duntaxat, cum jurisdictione ordinaria & coercendi potestate conjuncto, deque poenis politicis, in violatores hujus sancti foederis statuendis, quæ magistratui seculari, arg. Luc. 12. §. 14. & Job. 8. vers. 11. omnino relinquenda sunt. Gerh. c. l. §. 700, add. Christian. Weber apud B. Ahafv. Fritschii in *Jure Ecclesi. Tract. s. p. 828. seqq.* Et quomodo quæso quis sibi aliisque cum judicio reæ rationis persvadere posset, Lutherum, qui in supra allegat *Concione Copulationum* summo in id incubuit studio, ut debitam matrimonio ex jure divino vindicaret sanctitatem, alibi sui oblitum, in tam ardua causa contrarium

rium defendendum suscepisse? quanquam etiam, si dicendum, quod res est, accurata hujus questionis dijunctio, uti ex haec tenus traditis luce clarius constat, non solo innititur autoritatis humanae suffragio, sed plenissimum potius robur ac firmamentum suum ex S. S. institutione primæva juxta revelationis verbum consequitur. Proinde ex vindicata haec tenus atque asserta matrimoniī sanctitatis sequentia nunc construo ac deduco matrimonii Confectaria, videlicet reclamare eidem (1) omnes vagas libidinum confusiones, corporumque commixtiones, adducuntur. Ebræ. 13. vers. 4. junct. ad Thessal. 4. vers. 3. Nec non (2) polygamiam simultaneam, sive polygyniam sive polyandriam, arg. Genes. 1. vers. 27. ut cap. 2. vers. 18. & 24. junct. 1. Corinth. 7. vers. 2. & 4. add. Beermann. Confpect. Doct. polit. cap. 8. p. 41. (3) quoque nimis licenter injusta divertia extra casum adulterii ac malitiosæ desertionis, 1. Cor. 7. vers. 15. Matthæ. 19. vers. 6. & 9. add. Gerhard. d. Conjug. §. 602. seqq. junct. §. 611. seqq. & 623. seqq. Gratian. Discept. for. Tom. I. cap. 217. num. 31. seq. (4) nefarias & incestuosas nimia propinquitate sanguinis affinitatisve juniorum personarum confuetudines. Levit. 18. vers. 24. seqq. junct. 1. Corinth. 5. vers. 1. & Marc. 6. vers. 18. aliaque ejus generis plura, quæ quidem secundum dignitatem rei singulatim persequi, instituti mei ratio jam non patitur, qui unice apud animum constitui meum, post exantlata Examina, pauca quædam, Disputationis Inauguralis Cancellos non egredientia meditamenta mea: DE EO, QUOD JUSTUM EST CIRCA DISPENSATIONEM MATRIMONII, OB LEGEM CONSANGVINITATIS VEL AFFINITATIS JURE DIVINO PROHIBITI, ex consensu Illustris JCtorum Ordinis, in Il-

Iusti hac Fridericana solenni Eruditorum subjicere Disquisitioni, ea quidem methodo, ut primo capite: quousque jure divino universalis matrimonium ob Consanguinitatem vel Affinitatem inveniatur prohibitum, probe expendam; altero vero capite ea, qua fieri potest modestia ac animi summissione inquiram: an & quantum in his prohibitionibus jus dispensandi Majestati humanæ competit? Faxit Deus T. O M. ut bene ac competenter cuncta gerantur, *Novell. 6. pr.* & quæ inchoata sunt, bono peragantur exitu.

## CAPUT. I.

# QUOUSQUE JURE DIVINO VNI- VERSALI MATRIMONIUM OB CON- SANGUINITATEM VEL AFFINI- TATEM INVENITUR PRO- HIBITUM.

## §. I.

*Quarundam personarum matrimoniorum reprobatur diuinatio, et ratione, quarundam vero solae revelatio.*

**N**on omnes Nobis uxores ducere licere, sed a quorundam nuptiis ob vinculum nimirum consanguinitatis, affinitatisve, abstinentiam esse, partim ex dietamine rectae rationis, partim ex sanctiore revelationis verbo cognoscitur. Quænam vero illæ personæ sint, quæ sic proprie in prohibitis censeantur, & quænam genuina afferri possit interdicti ratio, ob quam proximitatis intuitu personis quibusdam ad fœderis conjugalis sanctitatem interclusus sit aditus, adeo perplexæ, & multis obscuritatum tenebris involutæ numerantur quæstiones, ut quoad primam integra Theo-

lo-

logica æque ac Juridica Collegia in contrarias desuper distrahantur sententias; quoad alteram vero Doctissimus Grorius L. 2. de J. B. & P. cap. 5. §. 12. ingenue con-  
fiteatur, causas certas, easque naturales, cur talia con-  
jugia, ita ut Legibus aut moribus vetantur, illicita sint,  
assignare qui voluerit, experiundo discet, quam id sit  
difficile, imo præstari non possit.

## §. II.

Ut ergo quæ animo meo hisce in quæstionibus se-  
deat sententia, pro ea, quam Academia nostra cuique bitionis de-  
dat, licentia, in publicum proferam, *τιμητον* committam sumitur a  
*προστεχον*, inque prohibitionis rationem prius inquiram. *pudore na-*  
Tantum uero abest, ut vel Hugonis Grotii heic subscri-*turali & re-*  
bam sententiae, propterea nonnullas cognatorum nu-*verentia.*  
uptias prohiberi existimantis, ne quotidianus eorum  
convictus & familiaritas nimis crebram domesticis stu-  
pris & adulteriis occasionem præberet, si nuptiis conglu-  
tinari possent; vel etiam in Augustini, aliorumque ca-  
stra transeam, qui matrimonia ideo inter cognatos quos-  
dam ineunda non esse argumentis contendunt, quo eo  
melius conjugiis augeantur necessitudines, multæque  
nuptiis conglutinentur affinitates, ab aliis datis, ab aliis  
acceptis mulieribus; Ut potius non rectiorem nisi ex  
L. 14. §. 2. ff. de Rit. Nupt. arcessendam putem causam, cur  
certis quibusdam personis, maxime in consanguinita-  
tis, affinitatisque linea recta, foedus pangere conjugale  
interdictum comperiatur, pudorem videlicet natura-  
lem, eique conjunctam reverentiam, quibus renuncia-  
re sive ea remittere velle, perinde esset, ac humanam  
naturam exuere, Progenitoresque suos pro talibus non  
agno-

agnoscere , dict. L. 14. §. 2. ff. de R. N. junc̄t. text. Genes. 9. vers. 23. & 1. Cor. 5. vers. 1. conf. Dn. Bergeri Disquisitio: utrum à Principe temperari pena adulterii possit , part. 1. §. 22. pag. 580. Puffend. de J. N. & G. Lib. 6. cap. 1. §. 31. verb. iste porro pudor &c. & §. seq. 32. Vian. in Comment. Inst. tit. de nupt. §. 1. ad verb. nefarias atque incestas &c. Hermes in Addit. ad Notas & Animadvers. Bachovii ad Wesenb. tit de R. N. num. 4. Lit. x. Hæc tamen a pudore ac reverentia desumpta ratio ad alias extra Lineam rectam prohibitas cognitorum vel affinium commixtiones extendenda haud est: Siquidem in his melius faciunt, qui in divina voluntate revelata acquiescent, licet interdicti rationem, quæ summum moverit Numen , intelligentia assequi aut complecti nequeant, Enimvero si in Legibus, autoritate humana promulgatis, valent Regulæ L. 20. seq. ff. de LL. junc̄t. L. 12. §. 1. ff. qui & a quibus manumissi &c. præscriptæ: certe respectu Legislatoris divinæ eadem valebunt vel maxime ; est quippe argumentum non, quod dicunt, a minori ad majus, sed a minimo ad maximum, imo a nihilo ad Ens summe perfectissimum , vid. Dn. Thomas. Inst. Jurisprud. divin. Lib. 3. cap. 3. §. 133. seqq. Panest. Irner. injur. vapul. coit. 41. pag. 400. & 420.

## §. III.

*Recensetur persone quam certis personis, sive consanguinitate sive affinitate invicem consociatis, interdictæ censentur nuptiæ, officii mei ratio porro depositit, ut personas quoque commemorem, quæ speciatim a Deo prohibitæ compriuntur. Exstat divinum illud Interdictum Levit. 18. vers. 6. 12. 13. & 17. ubi lex præmittitur generalis : Ne quis*

quis ad propinquam carnis suæ accedat, ut ejus naturam detegat: quæ in subsequentibus certis quibusdam consanguineorum affiniumque exemplis plenius declaratur. Sic quoad eos, qui (1) in Consanguinitatis Linea recta sunt, *vers. 7.* expresse prohibitum legitur, Patris, Matrisve: nec non *vers. 10.* Neptis, filio filiave progenitæ naturam detegere; quod similiter in Linea transversa non tantum de sorore consanguinea, uterinave, *vers. 9.* sed & de Amita, *vers. 12.* atque Materterea *vers. 13.* nominatum sanctum fuit. (2) in Affinitatis Linea recta matrimonium inire vetitum est cum Noverca seu patris uxore. *vers. 8.* cum Nuru seu filii uxore, *vers. 15.* cum Privigna, Privigni filia, nepteve, *vers. 17.* cum Socru, *Levit. 20. vers. 14.* *junct. Deut. 27. vers. 23.* Nec non in Linea Collaterali cum fratria, *Lev. 18. vers. 16.* seu fratrisla, uti Isidorus *origin. Lib. 9. cap. 8. num. 10.* fratri uxorem appellat, cum uxoris sorore, *vers. 18.* cum Patrui uxore *vers. 14.* Has in universum juris divini expressas prohibiciones Glossa *ad cap. 13. X. de Restit. Spoliat.* memorie causa sequentibus complecti voluit versiculis:

Nata, Soror, Neptis, Materterea, Fratris & Uxor,  
Et Patrui conjux, Mater, Privigna, Noverca,  
Uxorisque soror, Privigni Nata, Nurusque.  
Atque Soror Patris, conjungi Lege vetantur.

## §. IV.

Cæterum an enumeratae duntaxat personæ a Deo sint *Utrum pro-*  
*prohibitæ, an insuper illa prohibitio etiam ad reliquas habito et-*  
*personas, quæ in æquali cum nominatis reperiuntur san-* iam ad per-  
*guinis, affinitatisve propinquitate five graduum distantia, sonas ex-*  
*utiloquuntur, sit extendenda, non Veteris tantum Testa-* presse non

B

menti

nominatas  
extenden-  
da?

Lutheri,  
tempore Re-  
formatio-  
nis, qua  
fuerit sen-  
tentia?

menti temporibus apud Judæos a Karæis recentioribus, quos & Sadducæis quidam accensent, vid. *Disquis. critic. de variis bibliorum editionibus*, Londini 1684. in actis *Erudit.* 1684. p. 6. Schilt. *ad ffia Exerc.* 36. §. 40. & *Talmudicis acriter disputatum*, Selden. *Lib. 1. de uxor. Ebr. cap. 4.* Sed etiam sub initium Reformationis evangelicæ, teste B. Rhetio in *Medit. Academ. ad Instit. Juris, Dissert. 5. th. 21.* adhuc valde dubitatum fuit? Enim vero complures in ea versantur opinione, vel ipsum B. Lutherum eorum facuisse sententia, qui Legis divinae exordium, *Levit. 18. vers. 6.* indefinite scriptum, secundum personas subjectas accipiunt, pro quo firmando illius verba quæ *Tom. II. Oper. Germ. Jenens. fol. 252.* leguntur adducunt: Gott rechnet nicht nach denen Gliedern, wie die Juristen thun, sondern zehlet strack die Personnen ic. Idemque in der Auslegung über *Genesin. in cap. 20. P. IV. Jenens. fol. 123. ibi:* Ferner mag ich wohl nehmen meine Muhme oder Vase herunter zu rechnen, und also meines Bruders oder Schwester Tochter; Nicht hienuff werts, als des Vatters oder Mutter Bruder oder Schwester: Wiewohl Sie beyde in gleichen Glied sind. Dieses hat Gott also geordnet. Et ulterior: wann denn nun in den Fall ein Paar zusammen wolten, möchte es mit Gott und guten Gewissen geschehen: Wäre auch schier das beste. Ich halte nicht viel von weiter Freundschaft, die sich weg sticht. Consentit Bullingerus in *Corp. juris matrimon. Erasmi Saccerii fol. 53. ibi:* Die Obrigkeiten solten sich besleigen, mit der Zeit zu des Herrn Gesetz und Worten zum nechsten zu schreiten und zu treten, damit Sie nicht etwann geachtet würden, wißiger seyn zu wollen, denn Gott ist, und also in Gottes Gerichte fallen, add. Buccerus in *cap. 19. Matth. Petr. Wesenbec. Consil. 23. Alex. Carerius L. 2. de Sponsal. cap. 2. p. 91.*

§. V.

## §. V.

Alii contra ipsum Megalandrum Lutherum priores suas, quas in *Libello von ehelichen Leben super hujusmodi conjugiis A. C. 1522.* cogitationes prodiderat, cautelegi jussisse contendunt. Ita enim D. Paulus Tarnovius, Theologus Rostochiensis, *tract. de Conjug.* Lib. I. cap. 52. scriptum reliquit: Ex solis libris, sub initium reformatæ religionis a Luthero scriptis, non esse de illius sententia judicandum: cum constet, eum alibi reætius de his, & plane consentienter cum Philippo Kemnitio, & aliis in hoc articulo orthodoxis, docuisse, idque porro M. Conradi Portæ autoritate in *Pastorali p. 242. seqq. edit. Isleb. A. 1597.* & sermonis evidentia plenius munitum ivit his verbis: In quæstione de conjugio Abrahami & Sarae aliter pronunciat Lutherus, Tom. II. Enarrat. Lat. in Gen. 20. fol. 175. quam in altero paulo ante nominato Libro scripsicerat; unde apparet, eum a reliquorum orthodoxorum sententia in hac doctrina, de cognitionis gradibus, quinam eorum divinitus, humanitusve prohibiti sint, & quæ obligationis in utraque prohibitionum specie sit differentia? non dissensibile, conf. Thomæ Ittigii *Hist. Sinod. Nat. a Reform. in Gall. Sect. 2. §. 20. pag. 57.* Basilius Monnerus in *Tract. de Matrim. part. 4. cap. 2. Carpz. Lib. 2. Jurisprud. Consist. def. 76. num. 6.* A quorum tamen iterum recedit sententia Joh. Bartold. Niemejer. Theologus Helmstediensis *tract. de Conjug. prohibit:* *Dissert. de Conjugio cum priores suuxoris fratre divino jure prohibit.* §. 75. seqq. ubi collec-  
tis atque expensis Lutheri locis, quibus adserentes ini-  
nit existimat, omnino negat, B. Lutherum priorem

Adserentes Lutherum priorem  
suam sententiam,  
migrasse adducuntur.

as mutasse  
cogitatio-  
nes.

suam hac in re migrasse sententiam, cui pollicem premit D. Joh. Christoph Wagenseil. in Bedencken von der Heyrath mit seines verstorbenen Weibes Schwester oder Schwester Tochter §. 8. ibi: Es wollen zwar einige, es habe der Seel. Mann hernach seine Meynung geändert, so aber unerweislich.

## §. VI.

*Securior eli-  
gitur sen-  
tentia.*

Quicquid tandem sit, certe tutiorem, securioremque B. Virum judicasse sententiam, quae graduum tueretur prohibitionem, admittit Strykius de *Dissens. Sponsalit.* *Sez. 5. §. 20. in fin.* Tantumque abest, ut beatissime defuncto Regi Borussiae Friderico I. hæc displicuerit sententia, ut potius die 4. Novembr. 1693. ad Regimen Ducatus Magdeburgici Rescriptum emiserit hujus tenoris: Wie wir nun die Meynung derjenigen Theologorum und *I*Ctorum, welche dergleichen Ehen, ob identitatem rationis, lege divina verbothen zu seyn halten, tanquam tutissimam approbiren ic. Stryk. cit. loc. in *Append. Num. 2.* Idem modernus potentissimus Borussiae Rex, Fridericus Wilhelmus in *Constit. de emendat. Justitiae administr.* die 21. Junii. 1713. promulgata, §. 14. sancivit his verbis: Was die *Casus*, die im Göttlichen Rechten nicht ausdrücklich verbothen sind, anlanget, da declariren wir, daß alle Ehen, da paritas rationis auch nur zu walten scheinet, zumahlen unter Leuthen, so in Heyrathen gar leicht ihres Gleichen finden können, für ebenfalls verbothen geachtet, und bey Straffe 10. bis 20. Ehl. in dergleichen Fällen keine dispensation gesuchet werden solle.

## §. VII.

*Quæ justis  
firmatur  
rationibus*

Hanc ergo securiorem, Legum humanarum autoritate munitam atque comprobatam sententiam, vid. cap. 3. X. de *Sponsal. junct. can. 4. §. 1. de pœnit. diff. 7. Mev. part. 8. Decis. 151. num. 6.* non minus intentioni Constitutio-

tionis divinæ examussim congruere , cum probabile semper mihi visum fuerit, non possum , quin allatis & expositis rationibus plenius id nunc demonstrem atque explanem. Non potest autem id fieri melius, quam si (1) repetam generalem illam *Levit. 18. vers. 6.* prohibitionem, vigore cuius nemo ad propinquam carnis suæ, h. e. ut Martin. Chemnit. *Loc. Theol. de Conjug. cap. 3.* interpretatur, ad eam, quæ vel ex carne mea propagata, vel ex cuius carne ego propagatus, vel quæ mecum ex eadem carne propagata est, accedere debet, ut ejus pudenda detegat ; cui si (2) jungatur , quod sequitur *vers. 12. 13. & 17.* de propinqua patris interdictum , facile cuique, si modo prius animum a præconcepta liberaverit opinione, patebit, non personas unice declarandæ regulæ expressas , sed omnes potius illas, quæ vel parentum liberorumque, vel fratum sororumque, vel parentum faltem propinquorum locum obtinent , divino contineri interdicto ; maxime cum id (3) mens & ratio Legis prohibitiæ clare demonstret; si enim materteram vel amitam ducere non licet ; ideo quia matris patrisque proximæ sint consanguineæ, facile est ad intelligendum , nec foeminæ licere nubere vel patruo vel avunculo : quia simili modo & hi patris matrisque proximi numerantur consanguinei. Quod vero alii a violatione reverentia paternæ arcessere conantur prohibitionis principium, id quia absque Revelatione, ex humano solummodo ingenio proficiscitur, me non moratur. Reverentia Legislatoris ea erit, quæ nos dirigit. Atqui non solum homines videamus, sed etiam Deum suas Leges exponi velle per pa-

ritatem juris ad omnes casus pares, ut in rectæ linea gradibus in confessio est. Submisse itaque hunc expoundi modum ab eo accipiemus, imitandum ad Leges de Collateralibus, & præferemus principio explicandi, humanitus invento, quod Deum fecutum esse incomperatum est. vid. Pagenst. Irner, *injur. vapul.* coit. 41. pag. 452. Dn. Thomas. *Inst. Jurisprud. div. Lib. 3. cap. 3. §. 128. seqq.* Neque id unice in Consanguinitatis, sed & Affinitatis prohibitione attendendum est, eo quod ob unitatem Conjugum par sit interdicti ratio, quæ inter Consanguineos, ut quanto gradu conjuncta est uxor suis, eodem quoque his conjunctus sit maritus. Unde recte in *Vulgata Levit. 20. vers. 20.* qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui, & revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur: Et *Levit. 18. vers. 14.* turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedas ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Eadem ratio est in reliquis. Sic qui interdixit uxore fratri, ob distantiæ paritatem, Symmetriam, facit, ut eodem jure sororius cum glore misceri interdictus censeatur. Accedit (4) quod, si infinitæ sapientiæ Legislatori hic explicandi modus displicuisse, non neglexisset cavere, ne propter vetitam patrui, fratrive uxorem hæsitaremus de aliis, propinquitate paribus: quum citra hoc humana ratio non possit non pie se divinæ accommodare voluntati, ac de similibus simile ferre judicium. Imo pertinet quoque huc (5) a Consequente absurditate desumpta argumentatio. Si enim personas tantum, quarum expressa in Levitico fit mentio, non autem omnes reliquas

quas, quæ æquali propinquitatis distantia continentur, prohibitio illa concerneret, sequeretur inde, non tantum in Linea Consanguinitatis recta Avias inter tam paternas, quam maternas, & Nepotes, sed & in Linea Collaterali inter fratrem & sororem germanam, concessas esse nuptias; imo sequeretur, omnino transeundum esse in Gothofredi, Angeli, Gretseri, aliorumque sententiam, qui ultra quartum adscendentium & descendientium gradum conjugia arg. i. F. 8. §. hoc quoque, illicita non esse argumentis contendunt. Porro nec in Affinibus prohibendi forent conjungi matrimonio proprius cum pronoverca, nec prosocrus cum progenero &c. At ut nemo id facile admittet; ita quoque verissimæ manent regulæ: quod prohibitiones nuptiarum sint reciproce, inque iis non attendatur differentia Sexus, sed in quo gradu foeminae prohibentur masculis propter carnis propinquitatem, in eodem gradu masculi prohibeantur foeminis jungi propter eandem carnis propinquitatem; Et quicunque gradus prohibitus est in Consanguinitate, idem etiam propter ἐνίστων εἰς μίαν σάρκα prohibitus in affinitate primi generis, vid. Gerhard. de Conjug. §. 278. Mich. Havemann. Gamol. Synopt. L. 2. tit. s. post. 9. Regul. i. Spener. Ev. Glaubensl. II. Epiph. p. 210. Carpz. Lib. 2. Jurisprud. Conf. def. 76. num. 3. seqq. Struv. in Syntagm. Jur. Civ. Exercit. 29. tb. 37.

## §. VIII.

Restat ut nunc etiam videamus, quibus argumentis se fulciat adversantium sententia, quo facilius iuditium arguet pius æstimator, utra præponderent? Primum ob menta rejecere solent, quod matrimonium sit de genere permisum, falluntur.

forum

forum, adeo ut nemo temere iverit inficias, vel Proto-plastrorum liberos inter se matrimonia ex Dei voluntate copulavisse, sicque fratres fororibus etiam germanis licite junctos fuisse; Leges ergo positivas correctrices, circa incestum *Levit. 18.* postea promulgatas omnia extensio[n]um molimina respuere, stricteque interpretandas esse: quandoquidem juris est exploratissimi, quod differentiæ ratio non sit querenda in iis, quæ a jure positivo dependent, cum in his permissa censemur, quæ non inveniuntur expresse prohibita, *arg. L. 22. ff. de probat. junct. cap. 23. X. de sponsal.* ibi: cum prohibitorum sit interdictum de matrimonio contrahendo, ut quicunque non prohibetur per consequentiam admittatur, *add. Cujac. in Libr. XI. Qq. Papin. ad L. fin. ff. de condic.* *sine causa.* Verum Respondeo, Dissidentium opinionem, quod Leges positivæ etiam alias correctoriæ, omnem extensivam respuant interpretationem, maxima adhuc laborare petitione principii. Cum enim ratio sit anima Legis, nec magis Lex sine ratione Lex dici possit, quam exanimatum corpus homo, *arg. L. 47. ff. solut. matrim.* nihil sane impediet, si & in his a paribus causis ad paria jura progredianiur, *vid. Barbosæ Thesaur. Loc. commun. Jurisprud. Lib. 10. cap. 13. axiom. 20. & 37. add. Responsum Francofurt. apud. Dn. de Cocceji, in Jur. Civ. Controv. Lib. 48. tit. 5. p. 702.* Sic quando *Exod. 20. vers. 18.* Viro interdicitur, alterius uxorem concupiscere, omnino illud extendendum est ad fœminas, ut nec illæ alterius concupiscant maritum, *Roman. 7. vers. 7. & cap. 13. vers. 9.* Porro *Deut. 17. vers. 17.* prohibetur Rex multas habere uxores; quis hoc simul non exaudiendum puta-

putaret de Regina, quod nec illa pluribus maritis juncta esse debeat? Rursus cum *Genes.* 2. vers. 24. Scriptum legatur, viri esse officium, ut adhæreat suæ uxori, quis inde negabit, simili modo officium esse uxoris, ut suo constanter adhæreat marito: ne discrimen inducamus, quo repudium quidem viro interdictum agnoscatur, uxori vero divorpii facultas relinqu integra existimetur, add. *Matth.* 19. vers. 5. Breviter ergo dicendum, Mosen Leges de Conjugio fere omnes formaliter quidem direxisse ad mares, quæ tamen reciproce & virtualliter, seu per bonam consequentiam, interpretationem quoque in fœminis recipiunt, nisi de contraria Legislatoris mente clare constet; ex quo conficitur, ea demum, quæ jure positivo semel permitta sunt, & in futurum pro permisso habenda, nisi quatenus postea vel expresse, vel saltē virtualiter prohibita esse comperiantur. (2) Urgent follicitam quarundam ejusdem gradus personarum prohibitarum *Levit.* 18. enumerationem, ceu quæ extensionem præceptorum Dei matrimonialium ad eosdem similesque gradus exulare faciat. Si enim, inquiunt, non omnes sub præcepto prohibitorio contentas personas exprimere voluisset sapientissimus Legislator, tam ampla declarandæ Regulæ recensione facile supersedere potuisset. Ad hoc Ego contra repono: Si divino Legislatori placuisset, omnes sub prohibitione contentas personas nominatim designare, non opus habuisset, Regulam de non accedenda ad propinquam carnis suæ præmittere, quæ sic sane nullius foret usui. Cum vero in præmissa *Levit.* 18. vers. 6. 12. seqq. generali prohibitione respectus habeatur ad car-

C

nis

nis propinquitatem quæ in omnibus ejusdem gradus personis est eadem, merito quoque in his ejusdem vigoris ac ponderis, censenda erit prohibitio, ut proinde viam saltem heic præire voluerit Deus, quo circa reliquos quoque casus parem, beneficio extensivæ interpretationis, non nominatarum ejusdem gradus & æqualis distantia personarum habeamus, rationem, neque copiam virginī aut viduæ faciamus vel patruo, vel avunculo, vel amitæ, materteræve viduo nubendi: quia in his eadem prohibendi militat ratio, quæ in prohibita matertera, amitaque, vel patrui etiam vidua subesse cernitur, conf. Petrus Muller. in addit. ad Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 29. th. 37. lit. β. Gr̄hard. de Conjug. §. 352. Id leve dubium est, quod (3) objiciunt, incognitam esse Legi Mosaicæ, computationem graduum, & merum inventum humanum, secundum quod super consanguinitatis vel affinitatis matrimoniali impedimento non nisi inconcinne divina judicetur intentio. Respondeo enim Mosen, doctrinam licet de gradibus non sit professus, fundamentum tamen divinae Legislationis in propinqua consanguinitatis affinitatisve coniunctione collocasse, uti ex Levit. 18. vers. 6. seqq. clarescit, ex quo regula per se conficitur: quod, ubi æqualis carnis propinquitas, seu ut aliis saltem verbis id exprimitur, graduum distantia, ibi eadem quoque prohibitio obtinere debeat, quapropter non tam ad solum vocabulum: *gradus*, ab hominibus impositum, quam ad rem, a Deo indigitatam, respiciendum est, conf. Dn. Bergeri *Supplementa ad Electa Process. matrimon. in Ration. decid. Responsi 2di pag. 46. seqq.* Objiciunt (4) quod in alleg.

leg. Levit. cap. 18. plures ejusdem gradus nominentur personæ, quæ, licet in eodem gradu esse comperiuntur, non tamē sub una prohibitione comprehendantur, eo quod de singulis personis peculiaris extet prohibitio, idque indicium haud contemnendum præbere, prohibitionem illam non esse graduum, sed in personas ini bi nominatas duntaxat directam, vid. Respons. Francofur tene apud Dn. de Cocceji in Jur. Civ. contrav. Lib. 48. tit. 5. Resp. negando personas ejusdem gradus ibidem no minatas sub uno non contineri interdicto, cuius ratio in proximitate carnis consistit, sed singulas personas novam confidere prohibitionem: quin potius recen sionem illam certarum personarum nihil aliud esse ju dico, quam expressionem exemplorum, declarandæ regulæ præmissæ accommodatorum, ex quibus nulla nova demonstrari poterit prohibitionis causa; si se cū sentiamus, & exempla illius regulæ, non pro exem plis, sed pro novis prohibitionibus venditare velimus, nescio sane, quænam tandem præter allegata, alia sup peditari possint proprie exempla, regulam illustrantia? Neque ergo (5) officit huic meæ sententiæ, quod ab surdum videatur, unum gradum bis, ter, quaterve pro hiberi, unumque unius casus interdictum, toties inuti liter repetitum ac cumulatum fuisse; Siquidem non dum apparet consecutionis filum: quia plura unius gradus, gradum illustrantia, adducta cernuntur exem pla, ergo ipsum gradum atque interdictum toties, jux ta multitudinem exemplorum, inutiliter esse repetitum, cumulatumque; quotidiano enim ac notissimo usu contingit, ut declaratio quarumlibet regularum

majoris evidentiæ causa pluribus ejusdem regulæ exemplis expediatur , quod nemo haec tenus improbare sustinuit. Et quanquam porro *in eodem Responso* (6) pro majori adhuc habeatur absurdo , quod , si per nominatam personam paritas graduum intelligi debeat , simul inde sequatur , nec minus Viro Abneptem , quam Consobrinam habere in matrimonio interdicendum esse , eo quod utraque eodem continentur quarto gradu computationis scil. juris civilis ; Ego tamen impetrare a me nondum potui , ut credam , tantam , quæ causatur , heic subesse absurditatem : siquidem noto notius est , quod ex recepta Doctorum sententia , non graduum tantum , sed & Linearum in prohibitione matrimoniali habenda sit ratio , adeoque cardo totius controversiæ in eo saltem verisetur : Annon omnes vel in gradu primo vel secundo Collateralis lineaæ inæqualis Consanguinitatis æque , quam Affinitatis ratione juxta computationem canonicam , etiam *Levit. 18.* expresse non nominatae personæ , sub generali prohibitionis sensu comprehendantur , ut haec tenus quidem defendendum suscepi , proindeque eam , quæ in contrarium dubitandi gratia ex Linea recta allata fuit ratiocinatio , parum aut nihil ad rem facere plus quam manifestissimum est . Tandem (7) opponunt exempla ex sacro Codice petitæ , non minus ac præjudicia , nuptias in gradu secundo Lineæ inæqualis approbantia . Sic Amiram amitam suam Jochebed in uxorem duxisse , *Exod. 6. vers. 20.* relatum legitur , idem perhibetur *Josue 13. vers. 17. iunct. Judic. 1. vers. 13.* de Athniele , quod fratræ sui Caleb filiam Axam in matrimonium duxerit &c. ut plura ejusdem

dem generis alia ex historia prophana nunc non referam, *conf.* Gerhard. *apud.* Bechstad. *Collat. Jur. Connub.* pag. 422. *seqq.* Havemann. *Gamol. Synopt.* Lib. 2. tit. 5. pos-  
sit. 6. not. 1. num. 3. & posit. 7. Reg. 4. num. 5. Stryk. *ad Brun-*  
*nem. Jus Eccles.* Lib. 2. cap. 16. §. 21. *seqq.* ubi cumulus vario-  
rum præjudiciorum, add. Bruckner. *Decis. juris matrim.*  
*ad cap. 3. 5. 8. & 9.* Ad hæc vero præter ea, quæ ab aliis  
jam sufficienter responsa sunt, *vid.* Dn. Bergeri *Suppl.*  
*ad Elect. Proc. matrim.* pag. 60. *seq.* Ego quoque replico,  
Læges ex cursu exemplorum haud esse explicandas,  
quæ potius exempla ad Legum Cynosuram confor-  
manda; imo multo minus ex eo, quod fecit Prætor,  
jus æstimandum, sed ex eo potius, quod Prætorem fa-  
cere convenit, L. 11. ff. *de J. & J. Brunnem.* ad L. 12. ff. *de*  
*Officio Presid.* & ad L. 13. C. *de sentent.* & *Interlocut.* omni-  
um *Judic.* Ziegl. *in Not.* & *animadv.* *ad Lancell. Inst. Jur.*  
*Canon.* §. 10. *ad verb. præter eos.* Atque hæc potissimæ sunt  
objectiones, quas examinare opera pretium duxi, ad  
ea, quæ adhuc restant, quia leviora sunt, responsonem  
conflictui reservabo,

## §. IX.

Dicta haetenus non tantum de prohibita legitimæ Prohibitio-  
consanguinitatis, affinitatisve conjugatione matrimo-  
niali exaudienda sunt, sed etiam eodem modo carnis proximitas, ex quacunque commixtione illicita oriunda, sub interdicti ratione continetur L. 14. §. 2. & L. 54. ff. Rit. Nupt. quandoquidem æqualiter sanguinem communicat, qui more coit illico, quam qui secundum Legum præcepta foemina fese jungit; pertinet huc dictum Apostoli 1. Corinth. 6. vers. 16. ibi: an nescitis, eum, qui

qui cum scorto copulatur , unum esse corpus ? fiet enim , inquit ille , ex duobus una caro , imo & *Levit. 18. vers. 9.* Fratri expresse interdici legitur , naturam Sororis suæ detegere , sive ea ex patre sive ex matre , sive domi , sive foris nata sit , quæ ultima verba indicant , nihil interesse , sive ex justo matrimonio , sive ex illicitâ corporum conjunctione procreata fuerit cognatio , affinitasve ; qua de causa & filio interdicitur uxore patris , sive legitime , sive illegitime pater cum ea consueverit , item Avo nepte , sive filius , ex quo neptis suscepta , in matrimonio , sive extra illud fuerit progenitus : porro focero nuru , sive filius legitime , sive secus corpus cum ea miscuerit ; imo ex eadem ratione non ita pridem inclyta Facultas juridica Hallensis , quod ex relatione Domini Præsidis habeo , negavit anhelanti matrimonium cum foemina , cuius sororem antea vitiaverat , licet hæc Viro jam juncta fuerit legitimo , *conf. Gerhard. de Conjug. §. 282. Carpz. Lib. 2. Jurisprud. Consist. Def. 82. Schilt. Exerc. ad ff. 36. §. 44. Brunnum. in Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 16. §. 20. ibique Stryk. ad verb. ex stupro oritur prohibitio.*

### §. X.

*Non vero ad Comprivi- gnos.* Supereft ut & de Comprivignis breviter dispi- ciam , utrum quoque ad hos juris divini prohibitio matrimonialis sese extendat ? Et jure quidem no- stro civili horum matrimonium permifsum esse , licet habeant fratrem , sororemve , ex matrimonio postea contracto natos , *ex §. 8. Instit. de Nupt. junct. L. 34. §. 2. ff. de Rit. Nupt.* evidenter clarescit , eamque fen- tentiam non minus Carpzov . *in usu pract. Arbor. con- sangu.*

*sangu. & affinit.* *Dissert. 1. cap. 4. §. 49. num. 117. seqq.* haud contemnendis probavit argumentis, quam & in Praxi apud Evangelicos receptam esse, adserit Bruckner in *Decis. Jur. matrim. cap. 9.* Dubiam tamen reddiderunt hanc sententiam Tremellius, Junius ac Piscator, celebres Philologi & Theologi, qui verba *Levit. 18. vers. 11.* juxta sensum Linguae photographæ, ubi vocabulum Moledeth reperiri dicunt, quod participium tertiae Conjugationis activæ Hiphil est, adeoque parientem vel gignentem notat, atque ad uxorem non filiam refertur, ita exprimunt; Nuditatem filiæ uxoris patris tui, quæ, vel postquam, patri tuo peperit, non revelabis, h. e. comprivignam tuam uxorem non duces, si Noverca patri tuo prolem recentem peperit, quæ arctiori cognitionis vinculo te, ac comprivignam constringat, *vid. Dni. Bergeri Disquisitio de matrimonio comprivignorum, th. 2.* quoniam vero nec in hac translatione acquiescendum existimet Gerhard. *de Conjug. §. 357.* Insuper B. Valand. Antecessor Francofurtenis in *Dissert. pecul. ad cap. Levit. 18. vers. 11.* hunc textum de eo casu explicet, si noverca mea non antea habuerit filiam, aut ex patre conceperit, sed mortuo patre meo ex novo marito filiam fulceperit, quod cum hac matrimonium sit prohibitum: illa enim filia nata, postquam jam Noverca cum patre meo una caro facta; ut hinc propter hoc Vinculum partus, postea natus, mihi jungi nequeat; quæ interpretatio exacte congruit tam juris civilis dispositioni §. 9. *Inst. de Nupt.* quam Juris Canonici prohibitioni, *can. si qua mulier. 3. c. 35. quest. 10.* mihi quidem nemo, puto, vitio vertet, si versioni Lutheri praxi

praxi Evangelicorum receptæ eosque insistam, ac matrimonia comprivignorum juri divino minime contrarii publice propugnem, donec Lingua Ebraicæ peritiores de vera hujus textus sensu rectius inter se conveniant; nullus interim dubitans, B. Virum, si degenti adhuc inter mortales super hac sua versione dica scripta fuisset, non minori eam animi constantia defensurum fuisse, quam quidem translationem textus Rom. 3. vers. 24. a calumniantium iniquitate acriter vindicavit, vid. Lutheri Send-Brief von Döllmetzchen und Fürbitte der Heiligen, per tot.

## §. XI.

*An prohibito sit iuris divini universalis* Ultimo denique loco adhuc expendendum est, utrum prohibitio illa, qua de haec tenus suscepta fuit putatio, juris divini universalis sit, ita ut non minus Christianos sub interminatione maledictionis temporalis & æternæ obliget, an vero forensis duntaxat, quæ ad alios nisi Judæos vigorem suum non extendat? E-  
nim vero postremum hoc, si admiserim facile inde consequitur, operosa hac indagatione prohibiti ob legem consanguinitatis, vel affinitatis matrimonii omnino me supersedere potuisse: quia prohibita illa Levit. 18. vel alibi etiam sacro in Codice matrimonia, non magis quam aliæ Leges Mosaicæ forenes Nos obligant, eo quod populo judaico tantum promulgatae, unaque extincta Judæorum Republica ipsæ non minus sublatæ merito existimentur. Quodsi autem prius velim defendere, necessitas probandi mihi erit imposta, vel ad-  
versari illas Levit. 18. promulgatas prohibitions matrimoniales ipsi juri naturæ, vel esse præter Jus naturæ aliud jus  
divi-

divinum positivum universale, quod licet ex dictamine rectæ rationis haud possit cognosci, a Deo tamen vel mox prima in creatione Adamo, ejusque posteris, vel saltem post diluvium Noacho, ejusque liberis publicatum fuisse; id quod rectius vix poterit expediri, quam si demonstrentur tandem certa ac induxitata *νερήγηα*, ex quibus comprobetur, quod divinæ hæ Leges quatenus quidem juri naturæ accenserí nequeunt, ad illud nihilo-fecius referantur, sicque minime ad Judæos peculiari-ter pertineant, sed universalem potius universi generis humani inducant obligationem. Ut ergo in hoc offi-cio meo satisfaciam, mentemque meam desuper paulo liberius explicem, non possum immemor esse eorum, quæ jam supra §. 1. & 2. a me tradita leguntur, scil. inter noscendas esse personas Lineæ rectæ matrimonio conjungi prohibitas, a coeteris omnibus, quæ latere transverso Confanguinitatis vel affinitatis nimia propin-quitate invicem continentur, ita ut illarum conjugia in-teriori laborare malitia, sicque juri naturæ repugnare cum Grotio, aliisque multis plane existimem, e contra-rio vero harum commixtionem jure naturæ pro indif-ferenti quidem agnosciam, interim tamen non Judaico tantum populo, sed omnibus indistincte gentibus jure divino positivo universali eam interdictam esse plane mihi persuadeam. Quemadmodum vero per Jus divi-num positivum universale ex communi Theologorum ac JCtorum modernorum doctrina nihil aliud intelligo, quam ejusmodi Leges, quæ ex dictamine quidem rectæ rationis non cognoscuntur, attamen vel ante Rempu-blicam Judaicam constitutam promulgatæ saltem a po-

D

sterio;

steriori deprehenduntur, eo quod ob transgressionem earundem Gentes in sacris perhibeantur punitæ, vel ad quas Prophetæ, Evangelistæ & Apostoli, imo ipse Christus, ut receptas in Novo Testamento provocant, *vid.* Georg. Beyeri *Delineat. jur. Civ. ad Instit. jur. Lib. 1. tit. 1. seqq. Dni. Bergeri Disquisitio utrum a Principe temperari pena adulterii possit, part. 1. §. 9. pag. 544. 582. & 584.* ita in proclivi mihi erit, demonstrare, *uziñca illa in prohibitionibus Levit. 18.* pariter comperiri. Quandoquidem primo Omnipotens DEUS dicit. *Levit. 18. vers. 24. seqq.* Israëlitis diserte edixit: Ne vos ullo horum scelerum contaminatote: nam his omnibus fœse contaminarunt gentes, quas Ego vobis abigo. Itaque sic pollutæ terræ scelera hujusmodi poenis persequor, ut Incolas terra suos evomat; & mox: nam hæc omnia nefaria perpetrarunt Incolæ, qui vos antecesserunt, quibus o nispurcata terra est. Ex quibus recte argumentationem cocludit Grotius *Lib. 2. de J. B. & P. cap. 13.* si Cananæi, eorumque Vicini peccarunt, talia faciendo, sequitur ut Lex aliqua præcesserit; quæ cum mere naturalis non sit, restat, ut a DEO data sit, aut ipsis peculiariter (quod non est verisimile, nec satis ferunt verba) aut humano generi, sive in prima constitutione, sive in reparatione post diluvium; Idque exinde non minus fit probabile, quod a pluribus gentibus, quibus Jus divinum, quod Israëlitis est publicatum, non fuit revelatum, æque tamen incestus species, si non omnes, pleræque tamen, prohibitæ fuerint, unde credendum est, gentes istas memoriam juris positivi universalis, generi humano dati, per traditionem, ab ipsis continuatam con-

conservasse. Quod vero Gens Cananæa sua malitia illam Legem universalem oblitarit, vel non ignoratam observandam neglexerit, hinc DEUS istam e terris, quas abominationibus istis polluerunt, ejicere minatus est. Nec refragatur mihi, quod nonnulli verba *Levit. 18. vers. 24. & 27. ibi*: his omnibus pullatæ sunt gentes &c. non distributive de singulis ante enumeratis casibus, sed vel collective, de omnibus abominationibus simul sumtis, interpretentur, vel pœnam expulsionis ad casus proxime præcedentes, ubi de Sodomiticis Criminibus agitur, restringant, *vid. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 6. th. 2. Lit. E. ad verba: adeoque prohibiciones &c.* Bruckner. *Decis. jur. matrim. cap. 5. num. 45.* H. Grot. *cit. loc. §. 14.* Sam. Stryk. tract. *de Dissens. spon- sal. scđ. 5. §. 17.* Præterquam enim quod contortam vocet interpretationem Joh. Samuel Stryk. in *Dissert. jur. eccl. de matrim. jure & insti. cap. 1. §. 28.* quæ verba generaliter de omnibus abominationibus loquentia, ad unum vel alterum casum restringere præsumit, etiam responderi posset, sufficere, quod prohibitæ illæ conjunctiones matrimoniales illis abominationibus accentuantur, ob quas una cum reliquis Cananæi penatibus expulsi fuerunt; si ergo jam ante non fuissent in prohibitis, non posset dici, Gentes in his, una licet cum reliquis se commaculasse, ut & DEO abominationi sint factæ. *conf. Dn. Berger cit. loc. part. 1. §. 22. pag. 582. seq. & in Suppl. ad Elecđ. Process. matrim. pag. 57. verb:* hiernecht ist eine ganz irrite Meinung. Minus adhuc facit ad rem, quod & S. Patres in ejusmodi prohibitis coniugiis quibusdam ante Legem Mosis vixerint, uti

D 2

ex

ex exemplo Jacobi clarescit, quem tamen DEUS obinde nullibi coarguit, nec extirpavit, quin potius toleravit, eique benedixit, quod a Sanctissimo Legislatori fieri minime potuisset, si in tam jure divino universaliter prohibito incestu constanter vixisset Jacobus, vid. *Responsum Francof. apud Dn. de Cocceji in Jur. Controv. Civ. Lib. 18. tit. 5. pag. 710. seq.* siquidem ad id facile responderi potest, utique peccasse in hoc Jacobum, quod in tam damnato perseveraverit incestu, cum tamen Leam jure repudiare potuisset; quod vero Justissimus DEUS hoc in eo non vindicaverit crimen, sed pro ineffabili sua clementia tolerare, insuper peculiari eum benedictione impertiri voluerit, non eo interpretandum est, acsi ante Legem Mosis, duas in matrimonio habere Sorores in prohibitis non fuerit, nisi & ex eodem fundamento Jacobi bigamiam, quæ tamen dubio procul sanctioni divinæ *Gen. 2. vers. 18. & 24* haud obscure adversatur, sicuti multa alia, quibus æque ac nos obnoxius ille fuit, arg. *Jac. 5. v. 17.* excusare sustineamus; quin potius longe alias, nobis etiam ignotas, adfuisse causas, quæ crimina hæc in Jacobo tolerare commoverint Deum benignissimum rectius existimandum est, conf. Dn. Kettner superintendantis Quedlinburgensis gründliche Untersuchung der Ge-wissens-Frage: Ob jemand seines verstorbenen Weibes leibliche Schwester nach geist- und weltlichen Rechten, heyrathen darf, thes. st. seq. Idem in *Comment.* über das 18. und einen Theil des 20. capit. in 3ten Buch Mosis, von den Göttlichen Ehe-Gesetzen, ad vers. 24. pag. 80. Cui sententiae meæ 2do magis adhuc foenerat lucem, quod non minus divinus Gentium Doctor, Paulus, etiam in Novo Testamento matrimonium cum Noverca, tanquam neinter-

ter gentes quidem audiendum , *i. Cor. 5. vers. 1.* damnet, quam etiam Johannes Baptista , Herodi Antipæ incestum cum Philippi fratri uxore *Matth. 14. vers. 4. Luc. 3. vers. 19.* graviter exprobret, quod sane fieri non potuisset, si Mosaicæ prohibitiones pro forensibus duntaxat , & non juris divini universalis reputandæ essent. Evidem tria heic, ut causæ suæ inserviat, objicit D. Johann Melch. Goetze, superintendens Halberstadiensis, in der kurzen doch gründlichen Absertigung der von Herrn Lic. Friedr. Ernst Kettner gemachten Untersuchung der Frage : Ob jemand seiner verstorb. Frauen Schwester mit guten Gewissen heyrathen könne? pag. 55. & 125. Primo enim dicit, ex eo, quod unum vel alterum Conjugium , *Levit. 18.* prohibitum, sub Novo etiam Testamento criminis arguatur, inferendum minime, totum *Levit. 18. cap.* juris divini universalis esse : quum secundum Metaphysicorum canonem, a parte ad totum argumentatio sit invalida ; deinde 2do increpationem Herodis , a Johanne factum, non tam incestum respicere, quam adulterium ; Quippe Sethum Calvisium in *Opere suo Chronologico ad A. M. 3983.* ex characteribus chronologicis probasse putat, Philippum post mortem & resurrectionem Christi vita funeratum ; Johannem Baptistam vero jam ante quam passus sit Christus, decollatum fuisse, ut proinde facile sit ad existimandum, Philippum, tempore reprehensionis Herodis adhuc in vivis fuisse. Tertio secundum quoque , quod licet Johannes Christi præcursor fuerit, Rempublicam Judæorum tamen tunc temporis nondum sublatam fuisse, ceu quæ cum vastatione Hierosolymæ demum esse desit , *Dan. 9.* quicquid ergo

in Herodereprehensum, non ideo reprehensum esse, quod jam in Novo Testamento, sed quatenus in Judæorum Republ. qua subsistente adhuc Novum Testamentum cœpit prīnordium, vixerit. Ego verò ad imam dubitandi rationem respondeo, certum & omni approbatione dignum consecutionis filum esse, quod, si Leviri cum uxoris sorore conjugium, per textum *Levit. 18.* sub Novo Testamento reprobatum deprehenditur, idem quoque de reliquis prohibitionum speciebus ibidem expressis judicandum, sit, aut ratio diversitatis expōnenda, proter quam in reliquis Casibus, eodem capite expressis non paria, sed diversa obtinere debeant jura? quamdiu vero id sufficienter demonstratum non est, minus recte Metaphysicorum huc trahi regulam: quod a parte ad totum N. valeat C. plane mihi persvadeo. Quod autem secundam attinet dubitandi rationem, negari minime potest, St. Johannem, teste Evangelista *Luca cap. 3. vers. 19.* Herodem Tetracham non minus de tot aliis, quæ commisit, sceleribus, quam etiam præprimis de incestu cum Herodiade, sui fratriis uxore differtis arguisse verbis; cum ergo in hac sua inculpatione incestum a reliquis Herodis criminibus expresse separaverit Johannes, simulque propter hæc omnia conjunctim & que ac singulatim Herodem reprehendērit, manifesto inde conficitur, solum incestum juri di-  
vino universali adversari, sicque ad Christianos prohibitionem *cap. Levit. 18.* utique pertinere *conf.* Dn. Præses in *Disputat. de Vinculo matrimon. ob Legem affinit. turp. vel honesto*, *cap. 2. §. 13.* Niemeier. *Dissert. Theol. 9. eaque prior de Dispensat. in Conjug. prohib.* *§. 40.* Simili ratione ad id, quod tertio loco objicitur Herodem nempe non quatenus

tenus in Novo Testamento, sed quatenus Judæorum in Republ. adhuc vixerit, a Johanne ob incestum inculpatum fuisse, breviter respondeo, in merid'e jam esse, quod cum Johannis baptismo Novum cœperit Testamentum; proinde quicquid postea repurgatum atque castigatum ab eodem legitur, id omne in Novo Testamento factum esse plane censendum est; Et hinc recte Joh. Conr. Danhauer. in *Theol. Consc.* T. i. pag. 786. est Lex, inquit, in Levitico posita, Lex Catholica, obligans omnes gentes veneratione conjuncti sanguinistatas, adque nemesis divinam attonitas. Gemina sunt, quæ B. Spenerus edifferuit: Solche Verbothe der Graden stehen 3. *Mosis* 18. und 20. und gehen uns Christen auch noch an, weilen Sie keine bloße Jüdische Gebote sind, wenn daselbst stehtet, daß auch die Heyden darüber gestraffet werden solten, weilm Sie dagegen gethan, Ev. Glaubensl. II. *Epiphan.* p. 210. add. Dn. Kettner *Comment.* über das 18. und einen Theil des 20. Capit. im zten Buch *Mosis*, von den Göttlichen Ehe-Gesetzen ad vers. 16. pag. 67.

## CAPUT. II.

**AN ET QVATENUS IN HIS PROHIBITIONIBUS JUS DISPENSANDI MAJESTATI HUMANÆ COMPETAT.**

## §. I.

**I**n tellesta igitur atque perpenfa fatis abundeque priori in capite prohibitione juris divini universalis matrimoniali ob nimiæ Consangvinitatis vel affinitatis *Causa dispensationis adducitur.* vin-

vinculum, nihil magis optandum foret, quam ut mortales universi carnales suas cupiditates ad divinæ Legis vocem accommodantes ab hujusmodi coram sanctissimo, purissimoque Numine abominandis corporum commixtionibus decenter sibi temperarent, ne ad Gentium extirpatarum exemplum, maledictionem divinam temporalem æque ac æternam præstolari, & subire ipsi aliquando cogerentur; nihilo tamen secius, cum plures scævitate ingenii sui pervincere cupita enixe laborant, sicut modis omnibus in vettum semper nituntur, cui piuntque negata; neque tamen adeo proterve agere videri volunt, ut manifeste Legis autoritatem oppugnant, aut fraude eidem adhibita delinquant, hinc commodas fere sibi interpretationes comminiscuntur, per quas id callide moliuntur, ut ad suas qualescunque actiones præscripta Legum quadrent, ne unquam peccando peccasse videantur. Spectat huc nimis temere usurpata dispensandi, quam vocant, matrimonialis licentia, qua de nunc plenius commentari instituti mei ratio exposcit.

### §. II.

*Definitio dispensationis exponitur.* Est vero Dispensatio matrimonialis nihil aliud, quam *permisso Matrimonii, Lege alias prohibiti*, quando scil. Legislator subiectum sibi hominem, quem certa Lex matrimonialis respiciebat, obligatione ejusdem per contrariam mentis declarationem immunem præstat, ita ut reliqui omnes eidem Legi nihilominus constanter obnoxii maneant, conf. Niemeier: *Dissert. Theol. 9. eaque prior. de Dispensat. in Conjug. prohib. §. 5.* Puffend. lib. 6. de J. N. & G. Cap. I. §. 24. circa finem. Quoniam ve-

ro

ro concordibus omnium suffragiis ea demum Majestas, *Contra di-*  
*quæ Legem condidit, eam iterum immutare, vel* *vinam Le-*  
*exemptionem ab ipsius nexus obligatorio ex speciali* *gem non va-*  
*quadam ratione, aut singulari adveniente circumstan-* *let dispensa-*  
*tia, uni alterive indulgere potest personæ, hinc intel-* *tio humana.*

*arg. cap.*  
*13. X. de restit. spoliat. Barbola Thesaur. Loc. Commun. Ju-*  
*rispr. Lib. 10. cap. 13. axiom. 10. quod adeo verum est, ut,*  
*licet forte quis in ejusmodi prohibitionibus per sub-&*  
*obreptionem vel a Papa, vel quacunque superemi-*  
*nente in terris Potestate relaxationem impetraverit, a*  
*pœna quidem juris humani immunis reddatur, minime*  
*vero vel in Conscientia securus, vel excusatus coram*  
*Deo reputetur. Contingit enim interdum, ut qui li-*  
*gatus est apud Deum, apud homines sit solitus: quia*  
*judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur,*  
*semper innititur; judicium autem hominum, & ipsius*  
*etiam Ecclesiæ, nonnunquam opinionem sequitur,*  
*quam & fallere sœpe contingit, & falli, cap. 28. X. de sen-*  
*tent. cxcommun. neque ergo tam dispensatio hoc casu,*  
*quam dissipatio potius esse videtur, uti B. Bernhardus*  
*ad Eugenium Pontificem scripsit, in considerat. ad Euge-*  
*nium Lib. 3. teste Myler. ab Ehrenbach, in Gamol. Person.*  
*imp. illustr. cap. 8. §. 3. ubi varia injustæ dispensationis ad-*  
*ducuntur exempla, conf. B. Carpzov. Uſus arbor Confang.*  
*cap. 5. num. 4. & de Lege regia, cap. 12. scđt. I. num. 29. seqq.*

E

Ziegel

Ziegl. de Jur. Majest. Lib. 1. cap. 7. §. 5. seqq. Henr. Bronwer de Jur. Connub. Lib. 2. cap. 16. num. 9. seqq.

§. III.

*Exponitur  
ratio, cur  
de singulis  
prohibitio-  
nibus in  
specie agen-  
dum?*

Cœterum posita semel hac regula, & dispensationis fundamento, superfluum omnino videri poterat, huic rei enucleandæ prolixius immorari, cum in proclivi cuique nunc sit, de singulis dispensationum speciebus ferre judicium, an & quousque salva quidem conscientia peti atque concedi debeat prohibiti matrimonii relaxatio; quia tamen applicatione facta ad singulares casus matrimoniales, in societate civili obvenientes, sæpe aincipitis sunt animi Doctores, mox hanc, contrariam mox arripientes sententiam, ita quidem ut nulla fere tota in Jurisprudentia adeo fertiles Theologorum ac JCtorum invenias dissensiones, quam in dispensationis matrimonialis doctrina; hinc, puto, nemo mihi vitio dabit, si in tam ardua causa paulo curatius mentem meam explanem, atque in justitiam prætensæ dispensationis matrimonialis inquiram. Res omnium optime procedet, si priore loco de Consanguinitate, post deinde de affinibus, & quidem in utrisque tam intuitu Lineæ rectæ, quam transversæ sollicitam instituam inspectionem.

§. IV.

*Inter Con-  
sanguineos  
Lineæ rectæ  
locum non  
babet di-  
pensatio.*

Omnibus ergo, quotquot puriori Christianæ religionis doctrina imbuti sumus parentum liberorumque detestabilis semper atque execranda visa fuit conjunctio, non tantum arg. Levit. 18. sed etiam ex solo rectæ rationis dictamine; quod non minus sapientiores ethnici agnoverunt. Siquidem, ut ex pluribus præstan-

stantissimos referam, Xenophon & Plato dixisse fertur: divinitus latam, & non scriptam esse legem, ne parentes liberis, vel liberi parentibus misceantur; imo abhorrent quoque ab hujusmodi nefaria corporum commixtione quedam animalia rationis expertia, naturaliter in prædam interitumque nata, apprime hanc in rem Seneca: teste Arnold. Vinn, *in Comment. Instit. Lib. 1. tit. 10. §. 1. ad verba; nefarias atque incestas &c.* ibi:

Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,  
Generisque Leges inscius servat pudor.

Ut proinde eo minus dubitandum sit, omnem heic relaxandi potestatem merito exulare debere. Carpz. *Lib. 2. Jurispr. Eccles. Def. iii. n. 5.*

Nec est, ut quis mihi ex Epiphanio *bref. 39.* ogganiat, ipsum Adamum Evæ, propriæ quasi filiæ, velut ex corpore ipsius formatæ, ex Dei voluntate matrimonio copulatum fuisse, quod utique a Sanctissimo, purissimeque Deo fieri non potuisset, si adeo detestanda parentes inter ac liberos commixtio æstimari deberet. Respondeo namque creatam Evam a Deo, non generatam ab Adamo, sicut eadem ratione filiam fuisse Dei, qua Adam ejusdem filius vocari consuevit; nec proinde, si philosophice argumentari velimus, majorem illa reverentiam ac pudorem exhibere Adamo obligata fuit, propterea quod ex ejus costa condita esset, quam Adam terræ, ex qua eum formavit Deus; hinc consecutionis filium, a protoplastorum exemplo desumendum, ob irrefragabilem diversitatis rationem nullius heic esse efficaciam, pluribus comprobatum ivit Brouwer *de Jur. Connub. Lib. 2. cap. 10. num. 5. add. Hermes in Addit. ad Notas & An-*

madv. Bachovii ad Wesenb. tit. de R. N. num. 4. Lit. X.  
 Neque tamen hoc restringendum unice ad parentes  
 primi gradus, sed ad omnes indistincte adscendentibus  
 & descendebus in infinitum eadem prohibitio exten-  
 denda: Siquidem patris, matrisque æque ac libero-  
 rum nomine, omnes etiam ulterioris gradus ascenden-  
 tes & descendentes designantur, vid. Luc. 1. vers. 5. Grot.  
*Lib. 2. de J. B. & P. cap. 5. §. 13.* Quo magis enim adscen-  
 dis, descendebus, eo major reverentia atque pudoris  
 habenda est ratio, adeo ut secundum Glossam Germ.  
 speculi Saxonici *Lib. 1. art. 3. num. 7. ad verba:* als die Hert-  
 schild sich enden in dem siebenden ic. in fin. Adam, si mor-  
 tales inter adhuc degeret, Eva mortua, nullam aliam  
 ducere posset uxorem, Carpz. *Lib. 2. Jurispr. Conf. Def.*  
*93. per tot. Huber. part. 1. Digress. Lib. 2. cap. 17. §. 1.*

## §. V.

Nec in fra-  
 trum foro  
 rumque nu-  
 ptis licita  
 est dispensa-  
 tio.

A parentibus & liberis ad fratres & sorores pro-  
 ximus transitus est, quorum conjunctionem alii jure  
 naturæ prohibitam esse argumentis contendunt, ita ta-  
 men ut hanc suam sententiam temperent distinctione  
 adhibita inter Jus naturæ intelligentis ac ratiocinantis,  
 atque secundum hoc demum id velint procedere, late  
 Brouwer. *de Jur. Connub. lib. 2. cap. 10. num. 7.* Joh. Mich.  
 Langius *Dissert. Theol. de Nupt. per Jus naturæ prohib. sect.*  
*3. §. 23.* alii vero ex jure positivo divino hanc quidem  
 prohibitionem derivant, ad solos tamen Iudeos eam  
 restringunt, sive vim ejus obligatoriam, sublata Iude-  
 orum Republica simul cessare, ac proinde minimum  
 summo Pontifici dispensandi potestatem in his compe-  
 tere volunt, Diana part. 4. resolut. moral. tract. 4. Resol.  
*93. Basil. Pontius Lib. 7. de matrimon. cap. 32. num. 14. add.*  
 Bruck-

Bruckner. *Decis. jur. matrim. cap. 5. num. 6. seqq.* Neutra horum mihi blanditur sententia; sicuti enim nulla solida, eaque concludens hactenus afferri potuit ratio, qua collateralium conjugia a mero jure naturæ venire interdicta comprobetur, uti quidem ex Platone nequicquam firmare ausus est Huber. *part. I. Digress. cap. 18. §. 2.* ita corruptæ rationis indicium est, mox ad alterum quasi dilabi extreum, indeque argumentationem concludere, ergo prohibitionem illam ad solos pertinere Judæos, nec Christianos magis obligatos tenere, quam aliae Leges Mosaicæ solis Israelitis promulgatae, cum alia adhuc detur Sanctio divina, juri naturæ proprie dicto contradistincta, ob cujus transgressionem vel Ethnici Numini abominationi esse dicuntur, ex qua formula teste Dn. Buddeo in *Disput. de eo, quod abominabile DEO est* §. 39. intelligitur, Conjunctione ejusmodi universalem transiliri legem, nisi luculenter proberetur, quare hæc loquendi ratio, vi ista ac emphasi, quam in cœteris Scriptura locis obtinet, heic privari debeat, qua de re plenius *supra cap. I. §. fin.* a me actum fuit, add. Grot. *Lib. 2. de J. B. & P. cap. 5. §. 13.* Dn. Lynk. *Respons. 126. num. 45.* ut hinc facile sit ad existimandum, nullo penitus humanæ dispensationis prætextu fratum fororumque Conjugia, illæsa quidem conscientia, posse subsistere. Ex quo simul cognoscimus, etiam putative, Rescindenda h. e. per ignorantiam facti hujusmodi contracta matrimonia, comperto postea errore, iterum rescindenda esse, licet contrahentes in illis persistere velint: siquidem, quod DEUS prohibuit, nullo procul dubio niti potest juris vinculo. Et licet vel maxime tali casu multiplex proprie non sit incestus, quo minus tamen

E 3  
con-

continuatus ille prohibetur, ac toties renovatus, quoties copula repetitur carnalis, nulla prohibet ratio, id quod de omnibus juris divini prohibitionibus similiter adserendum est, arg. cap. fin. X. de Consuetud. jure & cap. 8. X. de Consang. & affinit. Brunnem. ad auth. ex complexu, num. 8. seq. C. de incest. & inutil. nupt. & in Jur. Ecel. Lib. 2. cap. 16. §. 27. ibique Stryk. in Suppl. Dn. Berger. in Suppl. ad Elect. Proc. Matrim. lib. 3. pag. 34. seq. & pag. 62. seq. Ziegl. ad Lancellot. Inst. Jur. can. Lib. 2. tit. 13. §. 10. ad verba: adeo erit irritum. Hoc quoque nihil refert, utrum fratres & sorores, matrimonio conjungi exoptantes, germani, i. e. duplice latere, ab uno scil. patre & matre, sanguine juncti, an vero Consanguinei tantum i. e. eodem patre, non matre, vel uterini tantum, id est eadem matre, non patre sint pregnati? cum utroque casu a communi stipite descendant, inde que proveniens sanguinis communio nuptiis impedimento existat, Stryk in Suppl. ad Brunnem. Jus Eccles. Lib. 2. cap. 16. §. 22. Hinc facile erit ad judicandum, quid sentiendum de casu, qui aliquando accidit in Belgio, scilicet filius alicuius Centurionis Belgici in America natus, mortua ibidem matre, paulo post etiam patre, postquam adolevit, majorque factus in Belgium proficiscitur, ibique Antwerpiæ uxorem duxit, qua de exactis aliquot annis, & suscepitis ex ea quatuor liberis, comperit, eam matris suæ, quam jam antea ex alio viro in Belgio progenuit, filiam, vereque ipsius uterinam esse, quæsitus, an interveniente dispensatione, hi in Conjugio possint persistere? quod ex hactenus dictis plane negandum esse reor, Grot. Lib. 2. de J. B. & P. cap. 5. §. 13. in fin.

*Nec differ-  
entia est  
inter fra-  
tres bilate-  
rales &  
nihilaterales,*

§. VI.

## §. VI.

Ob eandem juris divini expressam prohibitionem *Injusta quo-  
haud licita est dispensatio in Conjugio fratris, fororis-  
que filii cum amita & materterea , per textum in cap. 18. verf. 12. & 13. Levit. 18. verf. 12. & 13. an vero eadem ad matrimonium  
fratris, fororisque filiae cum patruo vel avunculo ex tendenda sit prohibitio, magna Doctorum contentio  
est. Evidentia Grot. cit. loc. §. 14. utique fratris filiam  
recte patruo in matrimonio collocari, licet ab amita fra-  
tris filius arceatur, diserte & statuit, & ratione ex Rab-  
binis deprompta confirmat. Scilicet quia viri juve-  
nes assidue frequentant domus avorum & aviarum, aut  
etiam in iis habitant simul cum amitis: ad domos vero  
fratrum minus frequens ipsis est aditus, nec ibi tan-  
tundem habent juris, adeoque fratres prætextu familia-  
ris conversationis haud facile cum fratribus filiabus mi-  
scere consuetudinem posse; quod nepotibus in avo-  
rum ædibus cum filiabus avorum, id est, amitis sit pro-  
clivius: ideoque si tales mixturæ nuptiis conglutinari  
possent, fore, uti multo frequentius committerentur.  
Verum merito hanc Grotii ratiunculam jejunam vocat  
Huber. Part. I. Digress. Lib. 2. cap. 19. §. 2, quæ & ipsa le-  
ctione refellitur, ut proinde ad hanc in Decisione hu-  
jus gravissimæ causæ respiciendum non sit. Alii ergo  
meliorem sibi invenisse rationem videntur in eo, quod  
in matrimonio cum materterea amitave, hæ fratris, foro-  
risve subjecerentur filio, cui parentis loco sint, & qui-  
bus fratris vel fororis filius reverentiam exhibere con-  
venit, quod secus esse censem, si fratris vel fororis filia  
patruo vel avunculo suo misceatur; cum tamen & hæc  
ratio*

ratio humanam magis redeoleat sapientiam, satius omnino erit, rationi prohibitionis, ab ipso Numine nobis in Sacris manifestatae, unice inhærere, ita ut, quando illud fratris sororisque filio matrimonio cum amita & materterta interdicit eam ob causam, quod patris matrisve tuæ proximæ sint consanguineæ, *Levit. 18. vers. 12. & 13.* idem quoque exaudiendum existimemus de matrimonio fratris sororisve filiæ cum patruo, avunculove. Quia ratione enim Vir est caro sive propinquus carnis amitæ vel materteræ suæ, eadem ratione etiam foemella est caro sive propinqua carnis patrui, vel avunculi sui. Si ergo filio patris aut matris ducere amitam vel materteram suam non licet, quia haec est caro sive propinqua patris aut matris suæ, etiam filiæ patris aut matris non licebit nubere patruo vel avunculo suo, quia hic æque est caro, sive propinquus patris aut matris suæ, vi legis ejus: nemo ad ullam carnem sive propinquam carnis suæ accedat, *Levit. 18. vers. 6.* Neque tamen ideo extensionem juris canonici *in can. 18. cap. 35. quest. 2. & 3.* ut putat Bruckner. *Decis. jur. matrim. cap. 5. num. 41.* admittendam existimo, quasi nulli Christiano liceat de propria Consanguinitate, seu cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, aut memoria retinetur, sicque omne Conjugium hodie plane ex orbe proscribendum sit: cum omnes homines ex eadem carne Adami & Evæ progenti sint. Siquidem mea intentio nequaquam eo collimat, quod velim ex Consanguinitate promiscua legem divinam extendere in infinitum, sed quod prohibitivæ divinæ Legis rationem, in masculis expressam, in fœminis

minis non minus ob eandem proximitatis distantiam locum obtinere duntaxat propugnem. vid. *Respons. Ictorum Francofurt. apud Dn. de Cocceji in Jur. Controv. Civ. Lib. 48. tit. 5. pag. 702. seqq.* Brouver. de *Jur. Connub. lib. 2. cap. ii. num. 2. seqq.*

### § VII.

Operæ pretium erit, porro nunc expendere, ut In tertio trum etiam tertio, quarto, vel ulteriori Consanguinitatis gratu, concurrente parentelæ respectu, licita sit dispensatio, puta si quis neptem ex fratre, vel amitam materteramve magnam fratris nepos matrimonio sibi jungi expetat? Complures quidem negativam heic amplectuntur sententiam, eo quod parentelæ respectus, divino etiam jure fundatus, omnem Majestatis humanæ relaxandi autoritatem exulare jubeat; quia enim Levit. 18. vers. 12. & 13. expresse sancitum, quod, qui se jungit materteræ vel amitæ, ille detegat nuditatem carnis patris & matris, irrefragabiliter inde sequi existimant, idem quoque de amita vel matertera magna, & sic porro in infinitum intelligendum esse. Quandoquidem eadem carnis unitas sive conjunctio sanguinis, quæ est inter patrem & amitam, inter avum non minus & amitam magnam adesse cognoscitur, ut hinc ob identitatem rationis, eadem quoque prohibitio jure meritoq; locum obtineat. Accedit, quod tam patris, quam matris vocabulum in significatu latiori, pro omnibus ascendentibus, & vocabulum filii pro omnibus descendenteribus Lev. 18. accipi debeat, hinc nulla adest ratio, cur non & in his omnibus eadem juris prohibitio attendenda veniat, Carpz. Lib. 2. *Jurispr. Confst. Def. 96. & 115. num. 5. seqq.* Mev.

F

Part.

Part. 8. Dec. 152. Huber. part. 1. Digress. Lib. 2. cap. 22.  
§. 1. Verum quam speciosa hæc etiam apparent, non  
tamen efficere potuerunt, ut non contrarium defen-  
dendum suscipiam. *Enim vero certissima apud me*  
*valet regula: quod, quoties in sacris neque persona*  
*expresse nominata, neque talis, quæ cum Levit. 18.*  
*expressis in pari proximitatis distantia, deprehenditur ad-*  
*esse, toties Principis dispensationi locus relinquendus*  
*sit, Havemann. Gamol. Lib. 2. tit. 5. posit. 6. num. 4.* cum ergo  
in casu proposito neque persona in sacris expref-  
sa, neque æquali proximitatis distantia interdicta ullibi  
inveniatur, merito si non jure ordinario, dispensandi  
tamen facultate interveniente, horum conjugium lici-  
tum atque honestum pronunciandum erit. *Nec offi-*  
*cit dubium, a latiore parentum significatu desumptum;*  
*licet enim, quando de parentibus in Linea recta sermo*  
*est, omnes in infinitum ascendentes intelligi inficias*  
*ire nolim, longe tamen aliam esse rationem, si de pro-*  
*hibitione collateralium agatur, plane mihi persuadeo;*  
*quippe respectus parentelæ, qui heic subesse prætendi-*  
*tur, merum inventum juris humani est, & neque jure*  
*canonico, ceu quod ultra quartum sūæ computationis*  
*gradum sine ulla illius respectus consideratione matrimo-*  
*nium permittit, cap. non debet 8. X. de Consangu. & affinit. neq;*  
*jure divino ultra secundum Linæ inæqualis computatio-*  
*nis canonice gradum suffultum comperitur, proinde-*  
*que Jus principis in relaxatione hujusmodi prohibitio-*  
*nis matrimonialis in controversiam vocare minime po-*  
*test, Mev. part. 3. Decis. 399. in subjuncto Responso, ibi:*  
*auch*

auch kein Göttlich Verboth, das sich weiter, als auf den andern Grad in ungleichen Linien erstrecke &c. porro: num. 4. daß der parentelæ respectus in Gottes Wort nicht befindlich, sondern ex ratiocinatione Civitatum herrühret &c. add. Martin. Chemnitius Loco de Conjug. cap. 3. §. 29. Stryk. ad Brunnenm. Jus Eccles. Lib. 2. cap. 16. §. 21. ibique præjud.

### §. VIII.

Ordinis ratio me nunc ad affinitatis Consideratio- *In Linea*  
nem dicit; cum vero de hujus essentia, atque diversis *affinitatis!*  
generibus, jam plenius a Dn. Præside in *Dissert. de recta nulla*  
*Vinculo matrim. ob legem affinit. turpi vel honesto, actum fue-* *locum habet*  
*dispensatio:*  
rit, ulteriori hujus rei explicatione justa ex causa in præ-  
senti supersedeo, maxime quod instituti mei ratio id uni-  
ce a me exigat, ut inquiram, quoisque heic dispensandi  
facultas summae potestati humanæ attribuenda sit? Ubi  
priore quidem loco, ad exemplum Consanguinitatis,  
Lineæ rectæ habenda est ratio, in qua Vitrici & No-  
vercæ, cum privigna privignove, socris item & socrus,  
cum Nuru & Genero nefaria detestantur connubia, *Le-*  
*vit. 18. vers. 8. 15. & 17. junct. 1. Cor. 5. vers. 1.* juxta quo-  
rum textuum claram dispositionem, qui novercam du-  
cit haud minus admittere scelus videtur, quam qui ma-  
trem sibi jungit, ob quam causam recte Antonium Cara-  
callum, ducta in uxorem noverca sua, detestatur Spartianus  
amorem ejus furorem inconditum vocans, quem ad  
effectum criminis roboratū dicit, auditio novercæ respon-  
so, si libet, licet; cum ille, visa quasi per negligentiam de-  
nutati corporis maxima parte, dixisset pulcherrimæ  
fœminæ: *vellem, si liceret,*, Huber part. i. *Digress. Lib. 2.*  
*cap. 17. §. 2.* Intelligendum vero hoc est de affinitate ve-

ra, non ficta, quæ ex sponsalibus tantum oritur; dum enim DEUS per Mosen cit. loc. affinum prohibet nuptias, sanguinis commixtionem potissimum respicere videtur, prohibens nuditatem nurus aut novercae detegere, nuditas vero sponsæ, mariti nuditas non est, nisi cognita sit mulier; ut proinde tali casu, patre videlicet decedente, antequam nuptiæ cum sponsa sua, omnem consummationem concubitu acceperint, filius non prohibeat, legitima accedente dispensatione, superstitem patris sui sponsam nunc sibi matrimonio jungere; cui sententiæ meæ suffragari videtur Augustinus docens: non esse dubium, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur, non fuisse nuptiale ministerium, can. 16. ca. 27. quest. 2. probe tamen & heic attendendæ veniunt circumstantiæ, ut si prædefunctus pater suspeste forte vixisset cum persona sibi despontata, foemina superstes juramento se prius purgare jubeatur, nullam carnalem commixtionem cum defuncto intervenisse, quod & similiter ita procedit in defuncti filii sponsa, filiaque sponso, arg. cap. X. de despontat. impub. Mev. p. 8. Dec. 272. Carpz. lib. 2. Jurisprud. Conf. Def. 122. Brunnem. ad L. 2. num. 2. ff. de R. N.

### §. IX.

*Etiam in secundo affinitatis gradu linea in-equalis illicita est dispensatio.*

Personas, quæ in affinitatis Linea recta conjunctæ sunt, excipiunt collaterales, quæ parentum liberorumque loco habentur, ubi quidem solius patrui viduae in Lege mosaica fit mentio, Levit. 18. vers. 14. & cap. 20. vers. 20. quod Hebræi restricte intelligi volunt de solo patruo paternæ lineæ, indeque patruum ma-

ter-

ternum huic interdicto legem non subjicere, notante ex Hottingero Schilt. ad sīta Exercit. 36. §. 40. qua sententia admissa, multo magis in vetitis non erit habendum matrimonium avunculi viduæ cum filio ex mariti sorore. Verum enim vero, quia in Legibus interpretandis ac applicandis ad casus controversos non verba Legum duntaxat, sed mens & ratio potissimum inspicienda ac perpendenda *vid.* Struv. in *Syntagm. jur. Civ. Exercit. 2. thes. 45. seqq.* Deus vero in prohibitione patrui viduæ *Levit. 18. vers. 14.* hanc reddit rationem: quia est amita tua, & porro *Lcvit. 20. vers. 20.* clarius adhuc expressum legitur, quod qui cum patrui sui uxore concubit, patrui sui verenda detexerit, sicutque in divinæ Legis prohibitione unice ad unitatem carnis, ex matrimonio patrui cum uxore ipsius resultantem respicitur, quasi dicatur, sicuti cum patruo misceri abominandum est, ita & turpitudini ducitur, eam sibi in uxorem adsumere, quæ cum patruo pro eadem reputatur persona, eoque quasi amita vel soror patris, & sic instar matris est; facile hinc erit ad concludendum, ob eandem rationem noluisse Sanctissimum Numen, ne quis viduam avunculi thori sibi sociam adsumat; cum sicuti in Consangvinitate, ita non minus in affinitate argumentatio a complexis ad non complexa instituenda, quoties id svadet rationum paritas. Eademque porro decisio formanda in conjunctione patrui seu avunculi cum vidua filii ex sorore vel fratre: & amitæ vel materteræ cum viduo filiæ ex sorore vel fratre; in quam rem apprime Bechstadius, *hodie, inquit,* talem in Scabinatu ullo, aut ab ullo Christiano & reformatæ

religionis Principe in casu simili dispensationem obtineri posse, valde dubito; at si de facto fieret, contra divina & humana jura fieri, nequaquam dubito, Collat. Jur. Connub. part. 2. cap. 7. in fin. Müller. ungerathene Ehe pag. 55. Chemnit. de Conjug. cap. 3. Reg. 10. Carpz. L. 2. Ju-

*ultra secun-  
dum Lineæ  
inæqualis  
gradum in-  
ter affinis  
permitta est  
dispensatio.* rispr. Confit. Def. 92. num. 10. ibique plures allegati. Ceterum quod de parentelæ respectu ultra secundum gradum lineæ inæqualis in consangvinitate §. 7. hujus cap. adserui, quod nempe ille juris tantum humani sit, indeque obicem dispensationi Principis vel alterius suspendentis Potestatis non ponat, idem quoque in affinitate affirmandum censeo, scil. Conjugia affinium, qui ultra secundum Lineæ inæqualis gradum parentum liberorumve loco comperiuntur, pro dispensabilibus habenda esse, conf. Mev. Part. 3. Decis. 399. rat. decid. 3tia ibi: und obgleich,

## §. X.

*Inter affines  
Collaterales  
primi gra-  
duis dispen-  
satio conce-  
denda haud  
est.* Restat ut de iis quoque agam, qui ut fratres & sacerdotes se habent. Et quidem Levit. 18. vers. 16. disertis prohibetur verbis, ne quis fratriæ suæ pudenda revellet, subiecta ratione, quod nuditas fratriæ sit nuditas ipsius fratri, quia mediante matrimonio in unitatem carnis transierunt; Intelligendum tamen id est de casu consummati matrimonii fratri cum fratria. Siquidem ex sententia Criticorum nuditatem revelare non importat, qualemcunque denudationem, sed talem, quæ cum profusione semenis & sanguinis conjuncta, per quam persona, quæ alterius pudenda detegit, & persona, cuius natura detegitur, una caro, & utriusque natura una fit, quod pluribus persecuitur Stryk. in usi-  
mo-

moderno fforum Lib. 23. tit. 2. §. 20. in rat. decid. pro matrimon. cum fratria. Qua de causa cum ante biennium, & quod excurrit, Pompejus quidam in Saxonia diem obiret supremum improles, relictæ uxore Christiana, quam in India occidentali matrimonio sibi junxerat, & in Germaniam secum duxerat, frater vero ipsius superstes cum vidua defuncti relictæ foedus conjugale iterum pangere apud animum constituisset suum, eo quod decumbenti fratri illud non tantum promisisset, sed & mandatum divinum Deut. 25, vers. 5. per expressum id ipsi injungeret, ne tristitia per obitum mariti affecta vidua maxime in perigrinis penitus desereretur terris, Collegium Vitenbergensium Juridicum desuper consultum, nullam heic dispensationem locum habere conscientiose respondit, cuius Responsi tenorem, cum huic controversiæ multum addat declarationis, neque typis, quantum memini exaratum reperiatur, integris retulisse verbis, neque inutile, neque ingratum credo futurum.

## RESPONSUM VITEMBERGENSE.

Als Ihr Uns einen Bericht und angehengte Rechts- Frage  
zugeschicket se.

Ist Euer Bruder Pompejus in Sächsischen Landen verstorben, und hat nach sich eine Wittbe, so Er in West-Indien geheyrathet, verlassen, von Euch aber vor seinen Tode begehet, das Ihr selbige heyrathen möchtet; dahero Ihr, ob nicht wegen solcher Ehe von der hohen Landes- Obrigkeit dispensation erlanget werden könne, zuförderst berichtet zu werden verlan-

langet. Ob nun wohl unterschiedene *Theologi* und Rechts-Lehrer der Meynung sind, daß das Göttliche Verboth, so *Levit. 18. vers. 16.* enthalten, *pro lege forensi* zu achten, und dashero heutiges Tages keine vim legis habe. Gestalt Lutherus selbst *Tom. 3. Oper. Altenburg. fol. 235.* iud in den *Judicio de divortio Henrici 8vi Regis Angliae* nebst *Philippo Melanchthonne* dieser opinion behyppflichtet, und ausdrücklich behauptet; *non magis hanc legem ad nos pertinere, quam ad eos, qui ante legem latam fuerunt,*

Bruckner *Decis. matrim. c. 5. pag. 281.*

Hiernechst *Deut. cap. 25. vers. 5.* von den obangezogenen *prohibition expressis verbis* dersjenige *casus excip. ret* wird, da ein Bruder ohne Erben verstorben, als in welchen Fall die *nuptiae cum fratribus vidua* nicht allein permittiret, sondern auch von Gott approbiaret und anbefohlen worden; dahero einige *Dd* auf die Gedanken kommen, daß wenigstens in diesen *casu* auch heutiges Tages dergleichen Heyrath zugelassen werden könne,

Bruckner. *c. 1. num. 36. ibique Lutherus & Meyerus.*

Inmassen nicht nur unterschiedene Exempel vorhanden, da dergleichen *dispensation* würcklich erhalten worden,

Niemeyer. *de conjug. prohib. Disp. 6. §. 67. seqq.*

Myler. *Gamol. cap. 8. §. 2. & 5.*

Sondern auch daß solches wohl geschehen möge, von einigen Rechts-Lehrern und ganzen *Collegiis juridicis* davor gehalten wird, *vid. Resp. Fac. jurid. Helmstad. ap. Niemeyer. c. 1. §. 85.*

Dennoch aber und dieweil, daß die *probabilitio Levit. 18. vers. 6.* allerdings *pro lege divina universalis* zu achten, von andern mit bessern Gründen behauptet wird,

Carpz. *Lib. 2. Ipr. Consist. Def. 91.*

Dedeken. *Consil. Theol. Vol. 3. pag. 247. & append. p. 872.*

In mehrer Erwiegung, daß in *27. & seqq. dict. cap.* dergleichen Ehe so wohl, als die übrigen, so daselbst verbothen, vor einen solchen Greuel, umb dessentwillen die Heyden vertilget worden, erkläh-

erkläret wird; woraus daß dieses Geseze die Jüden nicht als  
leine angegangen, nicht undeutlich abzunehmen,

Weber. *de Lege posit. univer.*

Budd. *de eo quod abominabile est coram Deo.*

Berger. *in supplem. ad Elect. Proc. matrim. p. 37. ibique*  
*Resp. Vitemb.*

Hingegen die Deut. cap. 25. vers. 5. enthaltene Limitation billich  
pro Lege forenzi zu achten, als daraus eine permisso universa-  
lis keinesweges zu inferieren.

Tilemann, *Heshus. Consil. ap. Niemeyer. in supplem.*

p. 27.

In übrigen in denjenigen gradibus, darinnen die Heyrathen  
Lege Dei positiva univerali untersaget sind, auch die hohe  
Landes-Obrigkeit nicht dispensiren, noch dieselben verstatten  
kan,

Berger. *in Oeconom. p. 101.*

Allso, die angezogenen Exempel da dergleichen *de facto* geschehen,  
so wenig, als die *opiniones* einiger Rechts-Lehrer Euch zu stat-  
ten kommen mögen; So seyd Ihr eures Bruders hinterlasse-  
ne Witte zu heyrathen nicht befugt, es mag Euch auch solche  
durch *dispensation* der hohen Landes-Obrigkeit nicht verstatte-  
werden. V. R. W.

### S. XI.

Quemadmodum vero fratriam in thalami assume- Nec dispen-  
re societatem, expressa lege divina, *Levit. 18. vers. 16.* & sari potest,  
*cap. 20. vers. 21.* vetitum comperitur; ita nec Sororio ut sororius  
prædefunctæ suæ uxoris sororem ducere in uxorem li- uxoris sue  
citum esse potest. Quum enim (i) Legis divinæ ratio sororem du-  
in prohibito matrimonio cum fratria in eo consistat, ciat.  
quod fratriæ natura, sensu morali, quo conjuges in  
unam coalescunt carnem, *Genes. 2. vers. 24.* sit ipsius fra-  
triæ natura, ac proinde idem esset ac si frater fratri jun-  
gi vellet, quod sine dubio abominandum & Sodomiae

G

spe-

species foret; ita eadem argumentatio, & turpitudinis causa adesse intelligitur, si soror Sororio corporis sui copiam faceret; nam & Sororius cum sua uxore una fuit caro, adeoque commixtio sororis cum sororio simili modo moraliter nihil esset aliud, quam commixtio sororis cum sorore, id quod evidenter pari turpitudinis macula laborat. Cui sententiae (2) majus adhuc foenerat lumen generalis *Levit. 18. vers. 6.* prohibito, qua nemo ad alterius carnem accedere debet, jam vero duas forores unam esse carnem, autoritate *Genes. 37. vers. 27.* facilis conficitur negotio, manifestum quoque inde consecutionis filium est, sororium cum defunctæ suæ uxoris sorore se commiscentem ad proximam carnis accedere, quod Legi divinæ adversum, indequè peccaminosum est; firmat id ipsum (3) argumentum a remotiori prohibita desumitum affinitate. Enim vero si per traditam *supra in §. 9. hujus cap. rationem*, defunctæ uxoris sororis filiam ducere non licet, *Dedekenn. Vol. 3. Consil. Theolog. Lib. Sect. 2. pag. 165.* *Gerhard. Loc. de Conjug. §. 351.* *Muller. ungerathene Ehe, pag. 55.* *segg.* multo minus sororio uxoris sorori, quæ propiorem adhuc carnis rationem habet, carnaliter jungi integrum esse potest. Neque tamen huic meæ sententiæ quicquam officiunt, tum quod nullibi in sacris cum uxoris sorore commixtionem expressim vetet Deus, tum exemplum Patriarchæ Jacobi, qui ullo absque scrupulo conscientiæ uxoris sororem in Conjugem fibi adscivit, tum quod major existimetur fœditas, Leviri cum fratria, quam sororii cum uxoris defunctæ sorore consuetudo, dum in illa confusio seminis fraternali metuitur, non vero in hac, tum denique limitata atque restri-

stricta prohibitio divina, *Levit. 18. vers. 18.* quæ vana esse  
judicaretur, si uxore mortua, sororem ejus ducere non  
liceat, quæ pluribus persequuntur JCTi Francofurt,  
in *Respons. apud. Dn. de Cocceji in Jur. Controv. Civ. Lib.*  
*48. iii. 5. quest. 3. per. 10.* Anton. Faber. *Europäische*  
*Staats-Canzley*, p. 2. cap. 1. fasc. 9. No. 1. seqq. Melch. Zeidler.  
*de polygam. ut & de matrim. cum defunctæ uxoris sorore disqui-*  
*sitio*, per tot. si quidem ad hæc facile responderi potest,  
quod, licet conjunctionem Sororii cum uxor is sorore  
expresse non vetuerit Numen, sufficiat tamen, si ex  
paritate rationis, per haec tenus a me deducta, luculent-  
ter id comprobetur. Exemplum vero Jacobi huc pla-  
ne trahendum non est, nisi duas etiamnum sorores eo-  
dem tempore habere in matrimonio illicitum non esse,  
pernitiose statuere velinus. Per placet interim Mel-  
anchthonis Judicium, *Opp. part. 1. pag. 339.* Jacob duas so-  
rores duxit, non est autem exemplis, sed Legibus judican-  
dum, & in hac tanta re considerentur præcepta divina. Et  
porro: Nec querendum est, quomodo excusandi sunt Patres,  
quia Sancti non sunt sine vitiis, conf. B. Lutherus *Tom. XI.*  
*Vitatem. Germ. pag. 169. ibi:* In der Theologia und in der  
Schrift muß man sich dafür vielmehr hüten, daß Einer nicht  
also argumentire und schließe: Jacob bricht hindurch, und  
thut wieder die gemeine Sitten, darumb geziemet mir dasselbe  
auch zu thua? Mein lieber Bruder, es heißt nego conse-  
quentiam, das will noch lange nicht folgen. Sic quoque ma-  
gna adhuc principii laborat petitione, quod major sit fœ-  
ditas in commixtione Leviri cum fratria, quam sororii  
cum uxor is defunctæ sorore. Licet enim de uxor is nu-  
ditate duntaxat loquatur DEUS, idem tamen ex natura  
matrimonii de pudendis mariti existimandum est, quod

G 2 nem-



nempe sororis nuditatem in sororis marito seu sororio, illæso pudore naturali detegere neutquam deceat; alioqui eodem hoc evinceretur argumento, licitum esse cum privigna conjugium, quia nec hujus nuditas, uxoris nostræ est nuditas, quod tamen expressim vetuit DEUS *Levit. 18. vers. 17.* quare accipienda sunt DEI verba: *quia nuditas fratris tui est*, ut valeant, quia uxor fratri est; ut hac ratione quoque retegenda non sit uxor sororis nuditas, quia soror uxor tue est. Quod denique restrictionem attinet Legis, qua non licet sororio uxor sororem, ea vivente ducere, ut cum ea rem habeat, quæ res uxor dolorem faciat, partim varia super hebraico textu Theologorum & JCtorum est interpretatio, adeo ut juxta B. Hornium in succincta exposit. doctrinæ de Computat. &c prohibit. grad. cognat. intuitu rei marrim. §. 57. in fin. optandum sit, quo Linguae hujus periti super genuino ejus sensu prius inter se convenient, antequam ad decisionem hujus gravissimæ quæstionis ille locus allegetur, partim etiam argumentum a contrario inde deductum a communi Theologorum schola, ceu debile ac lubricum jamdudum profligatum, cum ea admissa argumentandi ratione, facile quoque possit inferri, licitum esse hodieque uxor suæ viventi sororem ipsius superinducere, dummodo id fiat ex uxor viventis consensu, quod tamen sine evidenti impietate admitti haud potest. Apprime hanc in rem Danhauerus *Theol. Conf. tom. 2. pag. 782.* Connexio, inquit, annexa, ad affigendam in vita ejus, non est ampliative juris, sed restrictiva causæ specialis, ob quam supra generalem illam *Levit. 18. vers. 6.* non licet ducere uxor sororem. Posta morte, cessat quidem specialis ratio, manet tamen

tamen generalis, de carne cœnis non denudanda. Ut proinde nihil certius, quam omnem sororii cum uxoris sorore commixtionem, saltem per justam interpretationem, jure divino prohibitam statuere, quæ nec ullius humanæ dispensationis prætextu ad tranquillandam Conscientiam justificari queat, conf. Dn. D. Kettneri gründliche Untersuchung der hochangelegenen, und bisher vielfältig bestrittenen Gewissens-Frage: ob jemand seines verstorbenen Weibes leibliche Schwester nach Geist- und Weltlichen Rechten heyrathen darff? Et in Comment. über das 18. und einen Theil des 20. Cap. im dritten Buch Mosis, von den Götterlichen Eh-Ge- sezen, Muller. Ungerathene Ehe, pag. 27. seqq. Stryk. ad Brunnen. Jus Eccles. lib. 2. cap. 16. §. 26. Gerhard. de Conjug. §. 347. Havemann. Gamol. Synopt. lib. 2. tit. 5. reg. 8. sent. 1. Carpz. Jurispr. Consist. lib. 2. Def. 91. ibique Andr. Beyer. in addit. ad Definit. 92.

### §. XII.

Demonstravi hactenus, ut opinor, fatis abundeque, Dispensatio quousque in casibus matrimonii, ob Legem Constan-<sup>contra pro-</sup>  
guinitatis vel affinitatis jure divino prohibiti, dispensa-<sup>bitionem</sup>  
tioni humanæ locus relitus non sit, supereft, ut breviter adhuc expendam, an nihilominus in his facta a Majestate <sup>divinam ex-</sup>  
humana dispensatio, extra dispensantis territorium illa ef-<sup>tra dispen-</sup>  
fectum legitimatis operetur, ita ut liberi inde oriundi <sup>santis ter-</sup>  
ad feudorum, aliorumque bonorum, ubicunque sitorum <sup>ritorio</sup>  
admitti possint Successionem? Ratio eorum, qui affir-<sup>manet inju-</sup>  
mativam amplectuntur sententiam, in eo consistit, quod, <sup>sta.</sup>  
sicuti actus & negotia secundum jura illius loci, ubi ger-  
runtur, semel legitimate gesta, ubicunque alias pro legitimis  
habentur, ita quoque dispensatio matrimonialis a sum-  
mo Principe impetrata illum sortiri debeat effectum, ut  
ejusmodi matrimonium ex voluntate Principis consum-

ma-



matum, in omnibus etiam extra territorium, ex mutua  
saltem complacentia lege pro justo atque legitimo de-  
beat reputari, proindeque liberis etiam successionem  
feudorum, aliorumque alibi bonorum sitorum dene-  
gandam non esse, Stryk. *U. modern.* ff. lib. 23. tit. 2. §. 20.  
Hüber. *de Conflict. Legum* §. 3. seqq. Hert. *de Collis. Leg.*  
*Sect. 4. §. 32.* seqq. Dn. *de Cocceji de fundat. in territor.* &  
plurior. *concurr. potest. ibid. 5. seqq.* Verum enim vero  
licet allatam rationem in dispensatione contra prohi-  
bitionem civilem seu humanam libenter admitterem,  
contraria tamen mihi arridet sententia in ea, quæ con-  
tra divinam prohibitionem impetrata causatur nubendi  
licentia, hoc quippe casu, etiamsi vel maxime matri-  
monium tale de facto contractum, pleneque insecuto  
concubitu consummatum cognoscatur, illud tamen ite-  
rum vel dissolvendum, vel pro nullo declarandum,  
minimeque tolerandum esse adfero, ne sit metuenda  
perpetua incestus reiteratio, adeoque confirmatio hu-  
jusmodi matrimonii juxta dictum Bernhardinum, cuius  
*supra pag. 33.* feci mentionem, proprie non tam dispensa-  
tionis, quam dissipationis induit naturam, hinc tanto mi-  
nus ultra dispensantis territorium vigorem suum potest  
extendere, Brunnem. *Jus Eccles.* lib. 2. cap. 16. §. 17. ibique  
Stryk. Dn. Berger. *in Suppl. ad Ele&f. Proc. matrim.* pag.  
43. Quod quidem argumentum pro dignitate rei pleni-  
us excutere nunc non vacat, inde reliqua conflictui reser-  
vo. His interim pro ingenii modulo & temporis ratione  
absolutis, divinæ Clementiæ immortales persolvo  
gratias, felicemque facio  
instituti

F I N E M.

94 A 7343

ULB Halle

000 543 829


3



KD 17



B.I.G.



INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
OD JUSTUM EST  
CIRCA  
SATIONEM  
TRIMONII,  
OB LEGEM  
ANGVINITATIS  
VEL  
TIS JURE DIVINO  
OHIBITI,  
QUAM  
D. M. ANNUENTE  
FRIDERICIANA  
Æ FACULTATIS JURIDICÆ  
PRÆSIDE  
REA GÖTSCHE  
LICO, ET JURISCONSULTORUM  
PINIS ASSESSORE,  
ICENTIA  
E JURE CAPESCENDI HONORES  
DITORIO MAJORI  
H. L. C.  
B. A. O. R. MDCC XVIII.  
ditorum examini subjicit  
CHRISTIANUS HARRES,  
INARIENSIS.

AGDEBVRGICÆ,  
NI HENCKELII, Acad.Typogr.